Dogm. 895-7



<36611064590012

<36611064590012

Bayer. Staatsbibliothek

Phys. m. 895:7

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE GRATIA HABITUALI ET VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO - BAVARICÆ

AUDITORIBUS SUIS

EXPOSUIT

P. HERMANN. SCHOLLINER,

BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,

SS. Theol. Doctor & Dogmatico - Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. I. Principis Salisburgensis &c. &c. Consiliarius Ecclesiasticus, Congregationis Majoris Academicæ Præses.

TOMUS VII.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI,

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Approbatio Cenſoris.

Tractatus hic Theologicus de Gratia Habituali, & Virtutibus Theologicis, non ſolum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, ſed varias difficultates perſpicua claritate doctrinæque ſoliditate accurate pertractat, publico conſpectu, uſu, & plauſu dignus. Auguſtæ Vindel. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher, SS. Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Cathedralis Auguſtanæ Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Epiſc. Auguſtani, Landgravii Haſſiæ, Conſiliarius Eccleſiaſticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimenſis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciſcus Joſephus de Handl, SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniſſ. Princ. & Epiſc. Auguſtan. Conſil. Eccl. Maj. Pœnit. & Libr. Cenſ. nec non inſign. Eccleſ. Colleg. ad S. Maurit. Canon. & Paroch. mppria.

APPROBATIO

S. Facultatis Theologicæ.

Difficillimas quæstiones Theologicas de gratia habituali, & virtutibus Theologicis, quas clarissimus Author pro Reipublicæ Litterariæ emolumento nunquam non laboriosissimus in hisce prælectionibus pertractat, ea Doctrinæ claritate, ac sententiarum firmitate dilucidatas esse inveni, ut sine omni aut rectæ fidei, morumve bonorum offendiculo ad immortalem sui Authoris & Studii Theologici ornamentum mediante prelo publico toti orbi Litterario communicari posse, ac debere censeam. Datum Salisburgi die 18. Aug. 1766.

P. RUBERTUS GUTRATH,
Benedictinus Sancti Petri Salisb. SS. Theologiæ Doctor. Ejusdemque in Speculativo-Dogmaticis Prof. Publ. Ord. Celsissi. ac Reverendissimi Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. &c. &c. Consiliar. Eccles. S. Facultatis p. t. Decanus.

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

PARS I.

DE GRATIA HABITUALI.

CAPUT I.

De Notione, modo, & causis Justificationis.

§. I.

De genuina notione & varia divisione justificationis - - - - - Pag. 3.

§. II.

De modo justificationis.

RESOLUTIO I. *In justificatione peccatoris non solum teguntur, aut raduntur, sed vere delentur & remittuntur peccata.* 14

RESOLUTIO II. *Quamvis in justificatione peccata vere remittantur: sola tamen peccatorum remissione justificatio non absolvitur.* - - - - - 20.

RESOLUTIO III. *Justificatio non fit per essentialem justitiam Dei nobis communicatam, qua in se justus est, & in justificato habitat.* - - - 22

RESOLUTIO IV. *Justificatio non fit per solam extrinsecam imputationem justitiæ Christi.* - - - - - 25

RESOLUTIO V. *Justificatio passiva formalis fit per internam animæ renovationem, &*

in justitia hominis propria atque intrinseca consistit - - - 32.

§. III.

De causis justificationis, præsertim de fide.

Referuntur causæ e Tridentino Concilio. 36.

Enumerantur varii hæreticorum errores. 37.

RESOLUTIO I. *Fides ad justificationem necessaria non est sola fiducia, qua quis confidit, vel Divinis promissionibus credit, peccata propter Christi meritum sibi esse remissa: sed est firmus assensus omnibus veritatibus revelatis propter Divinam auctoritatem præstitus.* - - 41.

RESOLUT. II. *Sola fides ad justificationem non sufficit, sed requiruntur & alii actus.* 45.

CAPUT II.

De natura gratiæ justificantis.

Recensentur diversa systemata. - 57.

§. I.

An gratia a charitate realiter distinguatur?

RESOLUTIO. *Gratia justificans est ipsa charitas habitualis, per Spiritum S. in corde justi diffusa.* - . 61.

§. II.

De natura gratiæ sanctificantis in systemate Peripateticorum.

RESOLUTIO. *Gratia sanctificans secundum illos est donum supernaturale animæ realiter superadditum & inhærens per modum habitus, adeoque accidens absolutum.* 69.

§. III.

An ab Ecclesia hactenus definitum fuerit,

gratiam ſanctificantem eſſe accidens abſolutum?

RESOLUTIO. *Eccleſia nuſpiam definivit, gratiam ſanctificantem eſſe accidens abſolutum.* 76.

§. IV.

De natura gratiæ ſanctificantis ſecundum Neotericorum hypotheſin.

Explicatur natura gratiæ ſecundum Neotericos, & probatur. - - 99.

CAPUT III.

De proprietatibus juſtificationis.

§. I.

De incertitudine juſtificationis.

RESOLUTIO I. *Secluſa revelatione particulari homo nec* debet, *nec* poteſt *certitudine fidei credere, aut ſcire, ſe in ſtatu gratiæ eſſe conſtitutum.* - - 119.

RESOLUTIO II. *Non poteſt homo viator de ſtatu gratiæ moralem habere certitudinem, quantam aliquis habet de exiſtentia Romæ; nec prudentialem, qua quis credit, ſe eſſe hujus matris filium; ſed ſolum conjecturalem, cum actuali formidine oppoſiti.* 132.

§. II.

De juſtitiæ ſemel acceptæ amiſſibilitate.

RESOLUTIO. *Juſtitia non eſt propria prædeſtinatis, & ſemel habita non ſolo infidelitatis, ſed quolibet peccato a viatore amitti poteſt.* - - 138.

§. III.

De juſtitiæ inæqualitate.

RESOLUTIO. *Gratia ſanctificans, ſeu juſtitia*

non est æqualis in omnibus, poteſtque in eodem ſubjecto augeri, vel minui. 147.

CAPUT. IV.

De operum bonitate & neceſſitate.

§. I.

De operum bonitate.

RESOLUTIO. *Opera bona juſtorum non ſunt peccata, ſed vere bona, Deoque placentia.* 153.

§. II.

De operum bonorum neceſſitate.

Referuntur errores Proteſtantium. - 161.
RESOLUTIO. *Obſervatio mandatorum per gratiam poſſibilis, & ad ſalutem neceſſaria eſt.* - - - 164.

CAPUT V.

De operum bonorum Merito.

§. I.

De operum condignitate ad meritum vitæ æternæ.

RESOLUTIO. *Bona juſtorum opera ſunt de condigno meritoria vitæ æternæ.* 179.

§. II.

De falſis conditionibus, a Proteſtantibus ad Meritum requiſitis.

RESOLUTIO. *Fictitiæ ſunt iſtæ conditiones, neque ad meritum neceſſariæ.* 197.

§. III.

De conditionibus ſecundum Catholicos ad meritum neceſſariis, & quidem ex parte ipſius operis.

REROLUTIO. I. *Ut actus ſit meritorius,* bonus & ſupernaturalis *eſſe debet.* 203.

RESO-

RESOLUTIO II. *Actus meritorius debet esse* liber *non solum a coactione, sed etiam a necessitate.* - - - 205.

§. IV.

De necessitate, opus per charitatem in Deum referendi.

Referuntur variæ sententiæ. - 214.

RESOLUTIO. *Ut actus sit de condigno meritorius vitæ æternæ, non sufficit* habitualis, *nec requiritur* formalis *&* actualis, *sed* virtualis *influxus charitatis.* 218.

§. V.

De conditionibus ex parte personæ merentis requisitis, hoc est, de statu viæ, & gratiæ sanctificantis.

RESOLUTIO I. *Ad meritum de* condigno, *imo etiam de* congruo, *requiritur status viæ.* - - - - 233.

RESOLUTIO II. *Ad meritum de condigno requiritur, ut persona operans in statu gratiæ sanctificantis sit constituta.* 234.

§. VI.

De conditione ultima ex parte Dei requisita, nimirum de gratuita Dei promissione & pacto.

RESOLUTIO. *Ut opera justorum de condigno sint meritoria, ex parte Dei requiritur gratuita promissio mercedis; non quod illa ex hoc pacto suum valorem & dignitatem adquirant, utpote quam habent ex gratia sanctificante; sed quia sine promissione* extrinseca *non habent jus ad vitam æternam.* - - - 242.

VII.

De objecto meriti, an quis sibi vel alteri primam gratiam mereri valeat?

RESOLUTIO I. *Homo nec de condigno, nec de congruo* stricte *sumpto primam gratiam sibi mereri potest, sed solum merito de congruo* late *accepto.* - - 249.

RESOLUTIO II. *Justus non quidem de condigno, sed de congruo stricte sumto alteri primam gratiam sive actualem, sive habitualem mereri potest.* - - 252.

RESOLUTIO III. *Justus de condigno meretur non solum augmentum gratiæ, sed etiam gloriam, & primum quoque ejus gradum, primæ gratiæ habituali respondentem.* 254.

§. VIII.

An justus sibi vel aliis reparationem post lapsum, aut donum perseverantiæ de condigno vel congruo mereri possit?

RESOLUTIO I. *Justus nec de condigno, nec de congruo* stricte, *sed solum* late *sumto sibi, alteri vero de congruo proprie accepto reparationem post lapsum mereri potest.* - - - - 258.

RESOLUTIO II. *An justus, adultus & prædestinatus perseverantiam in executione & inadæquate spectatam de condigno mereri valeat? Ad fidem non pertinet, & sententia affirmans* probabilior *mihi videtur.* 264.

PARS

PARS II.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

DE FIDE.

CAPUT I.

De natura & objecto fidei.

§. I.

De objecto fidei materiali, & an ad illud revelationes privatæ pertineant?

RESOLUTIO I. *Revelationes privatæ fide Theologica credi possunt.* . pag. 8.

RESOLUTIO II. *Si Deus de novo quamdam veritatem ad Religionem Christianam pertinentem, & ad Deum ut authorem supernaturalem ordinatam, privatæ personæ revelaret, illa esset objectum fidei* Theologicæ, *respectu illius personæ, non autem fidei* Catholicæ. - 14.

§. II.

An objectum materiale fidei successu temporis fuerit dilatatum.

RRSOLUTIO. *Ecclesia definiendo non condit novos fidei articulos; quoad substantiam, sed solum quoad explicationem, neque id fit ex nova revelatione, sed ex promissa speciali Spiritus Sancti assistentia.* 17.

§. III.

An fidei dogmata alia sint necessaria, alia libera.

RESOLUTIO. *Nulla datur distinctio inter articulos fundamentales, & non necessarios: sed omnibus veritatibus revelatis firmus debetur assensus fidei.* - - [illegible]

§. IV.

An conclusiones Theologicæ ad objectum materiale fidei pertineant?

RESOLUTIO I. *Conclusio Theologica deducta ex una præmissa revelata, & altera moraliter in minore gradu certa, non pertinet ad objectum fidei.* - - 28.

RESOLUTIO II. *Conclusio Theologica deducta ex una revelata, & altera metaphysice vel moraliter in summo gradu certa, fide credenda est.* - - 29.

§. V.

De objecto formali fidei, & ultima ejus resolutione.

RESOLUTIO I. *Motivum formale fidei est sola authoritas, seu veracitas Dei revelantis.* 38.

RESOLUTIO II. *Fidei resolutio fieri non potest in humanum ratiocinium.* - 39.

RESOLUTIO III. *Fides non resolvitur in solam S. Scripturam, neque in Spiritum privatum.* - - 42.

RESOLUTIO IV. *Fidei resolutio unice fit in auctoritatem Dei revelantis, quatenus de eadem per Ecclesiam Catholicam, notis suis & signis credibilitatis affectam, evidenter constat.* - - 46.

CAPUT II.

DE actu interno & externo fidei.

§. I.

De necessitate fidei internæ ad justificationem & salutem.

RESOLUTIO I. *Actus internus fidei supernaturalis*

turalis & perſonalis adulto neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem neceſſarius eſt. - - - 51.

RESOLUTIO II. *Ad juſtificationem & ſalutem neceſſitate medii neceſſaria eſt fides explicita Dei, ut remuneratoris, Trini, & Chriſti Mediatoris.* - - 53.

RESOLUTIO III. *Præter myſteria ſupra dicta de præcepto credenda & memoriæ imprimenda ſunt ea, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolico &c.* - 62.

RESOLUTIO IV. *Actus internus fidei ſæpius in vita eliciendus eſt &c.* 63.

§. II.

De necessitate externæ fidei profeſſionis.

RESOLUTIO I. *Nunquam licet fidem verbo aut facto negare.* - - 67.

RESOLUTIO II. *Adeſt etiam præceptum affirmativum de profitenda exterius fide, obligans, quoties per ejus omiſſionem cultus Deo debitus, & utilitas proximo impendenda ſubtrahitur.* - - 73.

CAPUT III.

De ſubjecto fidei, & vitiis oppoſitis.

§. I.

De ſubjecto fidei.

RESOLUTIO I. *Angeli Viatores habuerunt fidem infuſam ſupernaturalem: illa tamen Beati in Patria carent.* 75.

RESOLUTIO II. *Habitus fidei ſupernaturalis, ſed informis, manet in peccatore, non infideli, non autem in hæretico vel unum articulum*

ticulum

ticulum fidei pertinaciter negante, etsi reliquos credat. - - - 78.

RESOLUTIO III. *Fides non manet in dæmonibus aut damnatis, manet tamen in animabus purgantibus, sicut eam quondam habuerunt Patres in limbo.* 82.

§. II.

De vitiis fidei oppositis.

RESOLUTIO I. *Infidelitas* privativa, *non autem* negativa, *peccatum est.* 86.

RESOLUTIO II. *Infidelitatis species sunt tres, Paganismus, Judaismus, & hæresis.* 87.

DE SPE THEOLOGICA.

CAPUT UNICUM.

§. I.

De natura spei.

RESOLUTIO. *Spes est virtus Theologica, qua secura cum fiducia promissum æternam beatitudinem, & media ad eam consequendam per divinum auxilium exspectamus.* 92.

§. II.

De objecto & motivo spei.

RESOLUTIO I. *Objectum materiale primarium spei est sola beatitudo objectiva, connotans visionem intuitivam seu beatitudinem formalem in obliquo: secundarium vero sunt media ad eam consequendam apta & necessaria.* - - - - 97.

RESOLUTIO II. *Motivum* formale *spei neque est* arduitas, *nec* bonitas *objecti, nec sola* omnipotentia, *sed* fidelitas *Dei promittentis, juncta omnipotentiæ Dei adjuvantis.* - - - 101.

De

§. III.

De subjecto, præcepto & vitiis spei oppositis.

RESOLUTIO I. *Spes manet in peccatore fideli, non desperante.* - - - 111.

RESOLUTIO II. *Spes monet in animabus purgatorii, non tamen in Beatis.* 112.

RESOLUTIO III. *Spes non manet in damnatis.* 113

RESOLUTIO IV. *Spes in Christo, non fuit virtus Theologica.* - - ibid.

RESOLUTIO V. *Actus spei adultis necessarius est necessitate medii & præcepti, cum naturalis, tum Divini.* - - 114.

RESOLUTIO VI. *Præceptum spei sæpius obligat in vita.* - - - 115.

RESOLUTIO VII. *Non datur status habitualis, tantæ perfectionis & indifferentiæ, ubi homo ex solo motivo charitats benevolæ operatur &c.* - - - 117.

DE CHARITATE THEOLOGICA.

CAPUT UNICUM.

§. I.

De natura charitatis.

RESOLUTIO. *Charitas est vera supernaturalis amicitia Deum inter & Hominem.* 122.

§. II.

De objecto & motivo charitatis. 125.

RESOLUTIO. *Objectum formale charitatis non est sola bonitas Dei* absoluta, *sed est etiam* respectiva, *ita, ut illa] sit primarium, hæc secundarium.* - - 128.

§. III.

De excellentia, adquisitione, & augmento charitatis.

RESO-

RESOLUTIO I. *Charitas in genere physico & moris omnibus virtutibus perfectior est.* 148.
RESOLUTIO II. *Charitas per se adquiritur infusione per Spiritum S.* 149.
RESOLUTIO III. *Actus charitatis etiam remissi merentur augmentum gratiæ, quod tamen non statim confertur.* - 150.

§. IV.

De præcepto charitatis erga Deum.

RESOL. I. *Præceptum dilectionis Dei est* affirmativum & speciale, *ab aliis omnibus distinctum.* 155.
RESOL. II. *Præceptum Dilectionis Dei super omnia obligat sæpius in vita 1. in principio morali usus rationis 2. in morali periculo & fine vitæ.* 157.
RESOL. III. *Præceptum charitatis etiam aliis temporibus urget.* - - - : 160.
RESOL. IV. *Datur obligatio, saltem sub veniali peccato, singulis dominicis & festis diebus actum charitatis eliciendi.* : - - 160.

§. V.

De Præcepto charitatis erga proximum.

RESOL. I. *Homo se ipsum & corpus suum ex charitate diligere debet.* . . 168.
RESOL. II. *Angeli Sancti etiam ex charitate diligendi sunt.* - - - - 169.
RESOL. III. *Proximus ex charitate diligi debet actu interno & positivo.* : - : ibid.
RESOL. IV. *Nomine proximi etiam diligendi sunt peccatores & inimici nostri.* - - 170.
RESOL. V. *Præceptum diligendi inimicos est naturale, & non solum positivum, consequenter jam in lege veteri & naturæ obligabat.* 171.
RESOL. VI. *Præceptum dilectionis proximi* effective *toties obligat, quoties ille ope nostra indiget, & nobis juvandi facultas non deest, seu quando nos ipsi, si in proximi circumstantiis essemus positi, alterius opem rationabiliter desideraremus.* 173.
RESOL. VII. *In charitate aliquis servandus est ordo* 174.

PRÆLECT-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE GRATIA HABITUALI, SEU JUSTIFICANTE.

Gratia *actualis*, de qua Tomo præcedente pertractavi, Dei auxilium est, in intellectus illustratione & voluntatis delectatione situm, homini tamen solum transeunter a Deo concessum, quo ad justificationis gratiam se disponere, & bene operando vitam æternam promereri valeat: Nunc de illa agendum est gratia, qua homo lapsus peccatorum remissionem

consequitur, & ex impio justus, ex inimico amicus, e peccatore sanctus, e dæmonis servo Dei Filius, e reo pænæ æternæ regni cælestis hæres efficitur. Quoniam vero iste justificationis status non nisi per grave peccatum amittitur, quod tamen cum gratia actuali vitari potest, hinc illa gratia de se loquendo stabilis, etiam *habitualis*, & *inhærens* appellatur. Quamvis autem hæc gratia sine omni respectu ad prævium quoddam peccatum considerari, sicque simpliciter *sanctificans* dici possit; cum & Angeli & Adamus & B. V. *Maria* ab omni peccato immunes in prima sui conditione eadem donati fuerint: quia tamen in hoc lapsæ naturæ statu, ubi omnes nascimur peccatores & injusti, peccatum mortale tanquam sui privationem ab anima expellit, & ex injusto formaliter justum facit, hinc communiter & merito gratia *justificans* appellatur, de qua nunc disquirendum venit. Ut autem assueta procedam methodo, pertractabo Cap. I. de notione, modo, & causis justificationis. II. De natura seu essentia gratiæ justificantis. III. De illius proprietatibus. IV. De ejus effectu, hoc est, operum hominis justi bonitate ac necessitate. V. De operum bonorum merito.

CAPUT I.

De notione, modo, & causis justificationis.

Cum ipsum justificationis vocabulum anceps sit, illudque aliter a Protestantibus, quam a nobis accipiatur, hinc §. I. ejus notio, variaque divisio determinanda est. Cumque & de ratione, qua peccatoris justificatio contingit, diversa a nobis sentiant Protestantes, ideo §. II. Agendum de illius modo. III. De illius causis, maxime autem de præparatione, quam illi in sola fide repositam esse arbitrantur.

§. I.

De genuina notione & varia divisione justificationis.

Justificatio, ambigua vox, diversas patitur significationes. I. sumitur pro ipsa lege divina, quæ justitiam docet, & quam observans justus dicitur. Ita de Zacharia & Elisabeth dicitur Lucæ I. 6. *Erant justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Hoc sensu sæpissime occurrit Psalmo 118. II. Pro ritibus & ceremoniis, ut Ezech. XVI. 27. *auferam justificationem tuam.* III. Pro declaratione judiciali, qua reus 1

per judicem ab inſtantia, a pæna abſolvitur, & juſtus ſeu immunis a debito pronuntiatur. Ut Iſaj. V. 23. *væ, qui juſtificatis impium pro muneribus, & juſtitiam juſti aufertis ab eo.* Et hanc ſignificationem avide arripiunt Proteſtantes, in quorum ſyſtemate juſtificatio nihil eſt aliud, quam declaratio Dei judicis, per quam homo, ſatisfactionem JESU Chriſti ſibi per fidem applicans, omni culpa & obligatione pænali ſolvitur, & dignus gratia ac gloria pronuntiatur. In illorum ergo principiis impius non ita juſtificatur, ut vere in ſe juſtus & ſanctus efficiatur: ſed hoc ſenſu ſit juſtus, quia legi nihil amplius debet, cum pro eo Chriſtus ſponſor noſter condignam ſatisfactionem præſtiterit, quam pro homine Deus acceptavit, & peccatori per fidem, ſeu fiduciam, Chriſti meritum ad ſe pertinere confidenti imputavit, & eodem intrinſecam hominis immunditiam, ceu quodam deſuper injecto pallio contexit, atque ab omni reatu pœnæ abſolvit, eique perditum jus ad hæreditatem cæleſtem reſtituit.

2 At vero Catholici juſtificationem IV. accipiunt pro ipſa *juſtitia interna* communicata, quo ſenſu exponunt PAULUM Rom. VIII. 30. *Quos vocavit Deus, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit*: ſeu, quos Deus ab æterno gratis ad gloriam prædeſtinavit, hos in tempore

tempore vocat ad fidem, justos efficit & imagini filii sui conformes, ac denique in executione glorificat. De hac justitia interna etiam loquitur JOANNES. Epist. I. cap. III. 7. *Qui facit justitiam, justus est, sicut & ille* (Deus) *justus est*. V. accipitur pro justitiæ incremento. Ut Apocal. XXII. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc.*

Quemadmodum autem justificationis, ita 3
& *justitiæ* vocabulum varios admittit sensus. Et I. sumitur pro rectitudine legis, vel conformitate cum lege. Sic illud Christi Math. VI. 33. *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus.* II. Pro rectitudine operum externorum, & dici potest justitia operum, quam jactabant Pharisæi, operibus externis ad scrupulum usque intenti, de interna cordis rectitudine nequaquam soliciti; quos ideo reprehendit Christus, suisque prædixit Math. V. 20. *nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* III. Pro vita pia & sancta, seu omnium virtutum complexu, quæ dicitur justitia generalis. V. Pro æquitate & virtute speciali, quæ est constans voluntas jus suum cuique tribuendi. Denique ut alias significationes prætercam, VI. pro interna rectitudine animi, qua homo rite ordinatur ad Deum, se ipsum, & proximum: & hæc est illa justitia, quam in-

telligunt Catholici, dum hominem e peccatore juſtum fieri docent, ut non aliena Chriſti eidem ſolum imputetur, ſed propria ipſi infundatur.

4 Itaque *juſtificatio*, & *juſtificare* e gemino vocabulo *juſtus*, & *facio*, componitur, & denotat, illum, qui ante injuſtus fuerat, nunc juſtum fieri. Duo ergo involvit: Deum qui juſtum facit, & peccatorem, qui juſtus fit. Hinc duplex juſtificatio, *activa* & *efficiens* ex parte Dei: *paſſiva*, *cauſata*, *recepta* ex parte hominis; non quidem hoc ſenſu *paſſiva*, quaſi homo velut inanimis truncus ſub ſcalpro artificis mere paſſive ſe habeat, nihilque operanti cooperetur, ſed quod ille juſtitiam libere recipiat, ad eamque recipiendam per vires gratiæ ſe aptum reddat.

5 Quando dicitur: Deus hominem *juſtificat*, ſeu juſtum facit, non intelligendum eſt cum Proteſtantibus, quaſi ſolum pronuntiaret ſententiam, qua declaret, peccatorem a debito pœnæ jam liberatum, & eo ſenſu juſtum, quod legi nihil debeat, qui tamen intus & in cute adhuc eſt totus immundus, utpote qui ſecundum eosdem quolibet actu & quidem mortaliter ſeu graviter peccat, cum veniale peccatum noſtro catholico ſenſu negent, ſed alio modo ſtatim exponendo. Cum Deus ſit ſimpliciſſimus ſpiritus, in quo præter intelli-

intelligere & velle nihil concipi poteſt, ideo quando Deum ad extra operari concipimus, voluntatis divinæ, quæ eſt cauſa rerum, quamdam ſeu propenſionem ad aliquid, ſeu averſionem ab aliquo conſiderare oportet. Quoniam autem juſtificatio eſt opus ad extra, hinc Dei voluntas, quæ prius a peccatore averſa, & ad infligendam ei pænam æternam erat propenſa, in juſtificatione concipitur ut jamjam a condemnatione averſa, & ad æternam felicitatem homini conferendam propenſa. In hanc autem æternam felicitatem homini conferendam Deus propendere non poteſt, quamdiu ille per peccatum totus a Deo averſus, & habitu ad creaturam converſus eſt, ac necdum firmum animo concepit propoſitum, ſuas actiones legi ac voluntati Divinæ conformandi: ideoque ex parte ipſius peccatoris præcedere debet integra animi immutatio, ſive illius a creatura averſio, & actualis ad Deum converſio per actus prævios fidei, contritionis, ſpei, dilectionis, quæ eſt ipſa *juſtificatio paſſiva* hominis: cui dein ex parte Dei correſpondet *juſtificatio activa*, quatenus Deus intuitu meritorum & ſatisfactionis a Chriſto præſtitæ, & a Patre acceptatæ, homini per vires gratiæ actualis ſufficienter diſpoſito, & toto corde a peccato averſo, & ad Deum cum firmo propoſito ſervandi legem converſo, reatum culpæ & pœnæ remittit, ac penitus

 delet,

delet, gratiam ſanctificantem & virtutes infundit, eum in amicum & filium recipit, atque jus ad æternam hæreditatem reſtituit.

6 Utraque juſtificatio, tam *activa* quam *paſſiva* dividi poteſt in *actualem* & *habitualem*. *Paſſiva actualis* eſt ipſe ſtatus animæ, quo per actum charitatis perfectum in Deum actu convertitur, cui ex parte Dei, qui perfecte diligentes ſe diligit, reſpondet *juſtificatio activa actualis*, ſeu ipſius Dei ad animam pænitentis propenſio in ejus æternam felicitatem, condonata prævie culpa & pœna æterna. Illa animi firmitas ſemper in Deum ut ultimum finem propendendi, & per accuratam legis obſervantiam ejus voluntati ſe conformandi, dici poteſt juſtificatio *paſſiva habitualis*: reſpondens autem illa ex parte Dei ſtabilis propenſio voluntatis Divinæ ad æternam hominis jam in amicitiam recepti & in filium adoptati felicitatem, juſtificatio *activa habitualis* appellari poteſt.

7 Atque hinc jam patet erroris principium, quem in dogmate de juſtificatione Proteſtantes committunt, dum eam non niſi *activam* ex parte ſolius Dei conſiderant, *paſſivam* autem admittere nolunt; eoquod anticipato errore doceant, hominem omni actu graviter peccare, & eſſe injuſtum, ideoque nullam ex parte ejus juſti-

justitiam, nisi alienam, Christi videlicet, imputatam agnoscere volunt: cujus quidem suppositi falsitas cap. IV. confutabitur. Nunc paucissimis dicam, quomodo illa animi peccatoris immutatio, justificatio *passiva*, & justitia *actualis* dici possit, & sit. Quando homo actu graviter peccavit, seque a Deo avertit, rationem ultimi finis ab eo abstulit, & in creaturam transtulit, sicque Deo injuriam intulit, quæ propter dignitatem personæ offensæ infinitæ erat malitiæ. Quamdiu in ista aversione habituali perstitit, tamdiu habitualiter erat injustus, & objectum indignationis divinæ. Quia autem purus homo condignam pro offensa satisfactionem præstare non potest, *per gratiam* tamen actualem e Christi meritis gratuito concessam *excitatus & adjutus fidem ex auditu concipiens, libere movetur in Deum, credens vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo JESU, & dum peccatorem se esse intelligens, a divinæ justitiæ terrore, quo utiliter concutitur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem erigitur, fidens, Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit, ac propterea movetur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum*

tismum agi oportet. Denique proponit suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare Divina mandata, ut loquitur concilium Tridentinum Seff. VI. cap. 6. Dum igitur peccator jam toto corde ad Deum ut ultimum finem convertitur, reddit Deo rationem ultimi finis, quam prius peccando abstulerat, sicque actum exercet justitiæ, dans Deo, quod Dei est. Ideo patet, istam animi immutationem, seu ex injusto conversionem, justificationem & *justitiam passivam actualem merito dici posse.*

8 Sed & istud inde clare colligitur, quod justificatio omni ex parte *gratuita* sit; *activa* quidem; quia Deus peccatum & pœnam gratis condonat, nec eam peccator ullo pacto mereri potest. Alienam Christi satisfactionem, quam utcunque condignam & superabundantem, potuisset non acceptare, sed eam, licet impossibilem, ab homine postulare, gratuito pro nobis acceptat, quemadmodum & Christus gratis ad eam præstandam se obtulit. Nec minus gratuita est *passiva*; etiamsi enim Deus adultum sine prævia dispositione in gratiam recipere nolit, gratis tamen & sine ullo debito, aut pacto antecedente eidem largitur gratiam actualem prævenientem, & reliqua auxilia, quibus se disponere, totumque justificationis passivæ negotium absolvere possit, quod suis

ſuis naturalibus viribus nunquam potuiſſet. ergo injuriam nobis proteſtantes irrogant graviſſimam, quando continuo nobis exprobrant, quaſi doceamus, & credamus, hominem per opera juſtificari; cum tamen illa, quæ juſtificationem activam præcedunt, non niſi rationem ſolius præparationis, non autem meriti habeant: ipſam autem peccati remiſſionem, & in filium Dei adoptionem, omnino gratuitam, uno animo & voce profiteamur. Ideo autem diſpoſitio & cordis immutatio præcedere debet; quia Deus propendere nequit ad hominem toto adhuc animo a ſe averſum, & in Dei offenſa ſibi complacentem, quem potius averſari, & odio perſequi debet.

Juſtificatio *paſſiva* iterum ſpectari poteſt, 9
vel ut *formalis*, vel ut *cauſalis*. Prior eſt ipſe ſtatus juſtitiæ n. 5. & 6. deſcriptus, eſtque in momento infuſæ gratiæ ſanctificantis juſtificatio formalis actualis: ejus vero continuatio eſt juſtificatio formalis habitualis, ut dictum eſt n. 6. *Cauſalis paſſiva* eſt illa ratio, quæ ex parte hominis Deum movet ad juſtificationem activam. Quamquam enim Deus principaliter ad hoc moveatur per meritum Chriſti Mediatoris: quia tamen adulto Chriſti ſatisfactionem applicare, ſeu, ut Proteſtantes loqui amant, imputare non vult ſine proprio ejus facto, ſeu cooperatione, ideo ex parte hominis aliqua debet eſſe ratio,

ratio, cur isti potius, quam alteri eam applicare velit. Atqui hæc alia esse nequit, quam hominis præparatio per vires gratiæ facta. Ergo hæc Deum movet, sicque est causa justificationis activæ. Hæc autem præparatio vel est *remota*, consistens in actibus præviis fidei, attritionis, spei &c. quibus positis nondum sequitur peccati remissio. Vel est *proxima*, ultimus nempe actus perfectæ charitatis & integra animi ad Deum conversio, cui connexa est *justificatio formalis actualis*, & hæc Deum proxime movet ad justificationem activam n. 5. expositam. Hæc est notio, œconomia, & delineatio justificationis in principiis Catholicorum.

10 Lutherani ex adverso, apud quos ex recepto axiomate *sola fides justificat*, docent, solam fidem, seu fiduciam, sumtam non pro assensu, sed pro acceptatione meritorum Christi Deum, eam esse rationem, quæ Deum determinat & movet ad hominem justificandum, seu eidem imputandam vicariam Christi justitiam, uti contra quosdam suorum exponit celeberrimus MOSHEMIUS in elementis Theologiæ dogmaticæ. P. III. cap. III. pag. 826. sed de hac *sola fide* redibit sermo §. III. hujus capitis.

11 Vera itaque notio justificationis *passivæ* & formalis secundum Ecclesiæ Catholicæ mentem his verbis exprimitur a synodo Tri-

Tridentina Seſſ. VI. cap. 7. „ Non eſt „ ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſancti- „ ficatio, & renovatio interioris hominis „ per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & „ donorum. Unde homo ex injuſto fit ju- „ ſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæ- „ res ſecundum ſpem vitæ æternæ. „ Quæ omnia jam ſupra expoſita fuerunt, & in ſequentibus porro uberius declarabuntur.

§. II.

De modo Juſtificationis.

De juſtificatione *paſſiva* & *formali* hic agitur, quo in dogmate exponendo e diametro Catholicis opponuntur Proteſtantes, quorum eo redit ſyſtema, quod ex parte hominis juſtificandi nulla fiat interior animæ innovatio, neque peccatorum maculæ vere & proprie ex eadem auferantur, tollantur, deleantur, ſed ſolum tegantur, radantur, ad pænam non amplius imputentur, a qua peccator declaratur immunis, quando per firmam fiduciam Chriſti meritum apprehendit, ſeu certo ſibi perſuadet, ſatisfactionem Chriſti ejusque juſtitiam ad ſe pertinere: eo fere modo, quo Jacob veſtimentis fratris ſui Eſau indutus Patri ſuo Iſaac ſe ſtitit, & primogeniti benedictionem eidem præripuit. Intuiti hujus fidei, ajunt, peccatori 12

catori a Deo imputari juſtitiam Chriſti, quo operimento immunditia illius conteƈta ante oculos Dei jam non appareat, ſed propter Chriſti meritum per judicialem ſententiam a pœna æterna declaretur immunis. Atvero, ut ex antecedentibus conſtat, ſecundum noſtræ Eccleſiæ dogma fit quædam interna hominis renovatio, ut ille non ſolum juſtus appareat, & talis declaretur, ſed ut vere mundus & ſanƈtus efficiatur. De quo nunc agendum: de ipſa autem eſſentia ſeu natura juſtificationis formalis paſſivæ cap. II. ex inſtituto pertraƈtabitur.

13 Resolutio I. In juſtificatione peccatoris non ſolum leguntur aut raduntur, ſed vere delentur, & remittuntur peccata. *Eſt dogma fidei.*

Prob. I. e S. ſcriptura, quæ ſæpiſſime teſtatur, peccata deleri, hominem ut nivem dealbari &c. ſic Pſal. L. *dele iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me . . . aſperges me hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor . . . omnes iniquitates meas dele.* Iſaiæ X. L. 25. *Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Epheſ. V. 26. *mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Atqui hæc omnia inepte dicerentur, ſi peccata non vere delentur, ſed ſolum imputata Chriſti juſtitia

ceu

ceu quodam pallio conteguntur. Ut enim æthiops candida veſte coopertus, aut ſordibus inquinatus ſuperinducta pura alterius veſte mundus dici nequit; ſic neque homo mundatus dici poterit, ſi adhuc peccatis intus vere coinquinatus exiſtat: Nec de Chriſto vere dici poſſet: *Ecce agnus Dei, qui* TOLLIT, *ſed ſolum qui* TEGIT *peccata mundi.*

PROB. II. Peccator in juſtificatione fit 14
amicus & filius Dei ſecundum illud 1. Joan. III. *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.* Si autem peccata ſolum tegerentur, & non penitus delerentur, tunc *nominaretur* forte, ſed non ESSET Dei filius; quia eſſet intrinſecus peccator, inimicus Dei, filius diaboli, & objectum indignationis divinæ, ſecundum illud Sapient. XIV. 9. *odio eſt Deo impius & impietas ejus.* repugnat autem eundem hominem pro eodem tempore ſimul eſſe Dei, dæmoniſque filium, objectum amoris, odiique Divini.

PROB. III. Juſtificati in S. ſcriptura di- 15
cuntur regenerati, de morte translati ad vitam. Sed ſi peccata ſolum teguntur, tunc manent in morte, nec ad novam vitam dici poſſunt reſuſcitati: *ergo &c.*

PROB. IV. e. SS. PP. Traditione. JOAN- 16
NES Chryſoſtomus Lib. II. de compunctione

ne cordis ait: „ cordis compunctio (illa „ nimirum perfecta contritio) ſicut ignis „ omne animæ vitium perurit & adimit, „ & quantacunque in ea repererit, mala, „ abſtergit & penitus delet „ S. AUGUSTINUS Lib. I. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 15. teſtatur, Pelagianos falſam Catholicis affinxiſſe opinionem, quaſi docerent, *Baptiſma non dare indulgentiam omnium peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur.* Quod ille hunc in modum refellit. „ Quis hoc adverſus Pelagianos niſi in„ fidelis affirmet? Dicimus ergo, Baptiſ„ ma dare omnium indulgentiam peccato„ rum, auferre crimina, non radere, nec „ ut omnium peccatorum radices in mala „ carne teneantur, quaſi raſorum in capi„ te pilorum, inde creſcant iterum reſe„ canda peccata. Nam & illam ſimilitu„ dinem comperi ſuæ illos adhibere calum„ niæ, tanquam hoc nos ſentiamus & di„ camus. „ Huic traditioni inhærens TRIDENTINA ſynodus definit Seſſ. V. Can. 5. de Baptiſmo per illum originale peccatum *vere remitti, & non ſolum tegi aut radi vel non imputari.*

17 PROB. V. Ex abſurdis, quæ e Proteſtantium hypotheſi conſequuntur. Sequitur enim I. Juſtificatos eſſe ſepulcra dealbata, intus putida cadavera, in oculis autem Dei ſpecioſo meritorum Chriſti indumento veſtita. II. Aut nullum juſtum fore

fore ſalvandum, aut aliquid coinquinatum admittendum in regnum cælorum, quod adverſatur Apocal. XXI. 27. ſi enim peccata ſolum teguntur, ille ſic juſtificatus vere coinquinatus & immundus exiſtit. III. Sequitur, Eccleſiam triumphalem non fore *ſine macula & ruga*; quoniam illius membra, videlicet juſti, omnes peccatorum ſuorum maculas eo ſecum deportarent. Sequitur IV. Deum aut non fore omniſcium; aut non juſtum. Si enim Deus, cujus *oculis omnia nuda & aperta ſunt*, Hebr. IV. 13. peccata veſtimento Chriſti contecta non videt: quomodo erit omniſcius? imo hic ipſe loquendi modus abſurdus eſt, Deo, qui ſcrutatur corda & renes, qui ſcrutatur Jeruſalem in Lucernis, eſſe aliquid occultum. Si autem iſtas peccatorum ſordes conſpicit, & non odit, nec punit: injuſtus, ſicque Deus non eſt, qui peccatum tanquam ſuæ ſanctitati adverſum neceſſario odiſſe debet.

Objic. I. Pſal. XXXI. 1. ſeq. dicitur: 18
Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir cui non IMPUTAVIT *Dominus peccatum.* Atqui peccata tegi, non imputari, hunc ſenſum reddit, quod licet peccatori inhæreant, coram Deo tamen non appareant, nec homini ad pænam imputentur, quemadmodum & Ezech. XXXIII. 16. dicitur: *omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.*

Resp. ad mentem S. Augustini enarratione in Pſalm. 31. peccata tegi & non imputari, idem eſt, ac penitus deleri, & prorſus non eſſe. Duobus enim modis peccata tanquam animæ ulcera tegi poſſunt 1. ut velut panno quodam aut lino tegantur, & ulcus ſub tegmento lateat. 2. Ut ſimul curetur, prout fit emplaſtro ſuperimpoſito. Et iſto ſecundo modo peccata teguntur. Dicit enim Augustinus „ Deus „ ergo tegat vulnera, non tu; nam ſi tu „ tegere volueris erubeſcens, Medicus non „ curabit. Medicus tegat, & curet. Em- „ plaſtro enim tegit. Sub tegmine Me- „ dici ſanatur vulnus: ſub tegmine vul- „ nerati celatur vulnus. „

19 Objic. II. Pſalm. LXXXIV. 3. *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ*, operuisti *omnia peccata eorum.* Ergo ſolum teguntur.

Resp. *Operire* idem ſignificat ac ſubmergere in interitum, ut peccata pereant, & deleantur, metaphora a ſubmerſione maris deſumpta, quemadmodum de Ægyptiis in mari rubro ſubmerſis dicitur Exod. XV. 10. *operuit eos mare*, non ſolum abſcondit, ſed penitus illos interemit. Sic etiam Deus noſtra peccata in juſtificatione operiendo non ſolum tegit, ſed penitus delet, teſte Michæa Propheta VII. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.*

Objic. III.

Objic. III. Paulus, qui utique tunc justificatus erat, peccatum tamen in se adhuc habitare fatetur Rom. VII. 17. *jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* 20

Resp. Sermo ibi est de concupiscentia habituali, & motibus ejusdem indeliberatis, quæ etiam in renatis remanet; non quod in se formaliter peccatum sit, *sed quia*, ut ex Augustino Tridentina synodus exponit, *ex peccato est, & ad peccatum inclinat*, hominique occasionem pugnæ & meriti tribuit. Quod autem ejusmodi motus indeliberati, qui nobis invitis exoriuntur, & rationem præveniunt, in se formaliter peccaminosi non sint, ostendi in Prælect. de Peccatis.

Objic. IV. *Charitas operit multitudinem peccatorum*, ut legitur 1. Petr. IV, 8. ergo teguntur. 21

Respond. I. Secundum protestantes fides potius, qua Christi merita adprehenduntur, dicenda esset operire peccata, qua *sola* hominem justificari docent.

Resp. II. Geminus horum Verborum sensus esse potest. I. Quod ille zelus animarum, quo aliquis docendo, orando aut bono exemplo alium *converti fecerit ab errore viæ suæ*. Jacob. V. 20. Hoc cha-

ritatis actu & alterius peccata deleri faciat, & sibi gratiam actualem impetret, per quam & propria remittantur. II. Quod fraterna charitas, qua proximum diligimus, efficiat, ut ejus nævis non insultemus, eos excusemus, celemus, patienter feramus. Neuter horum sensuum Protestantium hypothesi favet.

22 Resolutio II. Quamvis in justificatione peccata vere remittantur, sola tamen peccatorum remissione justificatio non absolvitur.

Pars I. Constat ex dictis. Altera probatur I. e. S. Scriptura, quæ peccatoris justificationem per internam animi immutationem & renovationem exprimit. Ita Paulus Rom. V. 21. *sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam.* Atqui peccatum ita regnabat in mortem, ut animam intrinsecus afficeret, ejusque opera mortua & mortifera efficeret. ergo & justitia per gratiam nobis restituta intus animam renovat, & potestatem tribuit, ut opera viva Deoque placentia perficere valeat. Idem Paulus Ephesios IV. 23. hortatur: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, hoc est, in vera sanctitate. ergo præter peccatorum remissionem vera intercedit animæ renova-

renovatio, quam quidem Proteſtantes hodie *ſanctificationem* appellant, eamque juſtificationis pediſſequam eſſe volunt: dum apud catholicos illa juſtificationem Dei activam, & paſſivam peccatoris antecedere debet.

PROB II. Ex AUGUSTINO, qui Epiſt. 105. 23
ad Sixtum ſcribit: „ Nec quisquam liberatur, & juſtificatur, niſi gratia Dei „ per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolum remiſſione peccatorum, ſed prius inſpiratione Fidei, & „ timoris Dei, impartito ſalubriter orationis affectu & effectu. „ Et in Enchiridio cap. 52. „ Quemadmodum in Chriſto vera mors facta eſt, ſic in nobis „ vera remiſſio peccatorum. Et quemadmodum in illo vera reſurrectio, ita & „ in nobis vera juſtificatio. „ Videtur Auguſtinus his verbis alludere ad illud PAULI Rom. IV. ubi de Chriſto ait: *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*: ubi remiſſio peccatorum adſcribitur morti, juſtificatio autem, ſeu interior renovatio, reſurrectioni Chriſti.

OBJIC. Job IX. 2. legitur: *vere ſcio,* 24
quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo. & Pſalm CXLII. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Cum igitur homo non poſſit dici vere ju-

 ſtus,

ſtus, ſequitur, quod non habeat veram juſtitiam internam, ſed ſolam peccatorum remiſſionem conſequatur.

Resp. I. Iſti textus ita intelligendi ſunt, quod juſtitia hominis non adeo ſit perfecta, ut non aliquoties in levia quædam peccata prolabatur.

Resp. II. Juſtitia hominis interna, & habitualis, ſi cum Divina in comparationem veniat, longe minoris pretii cenſenda eſt; haud equidem *privative*, quaſi non eſſet vera juſtitia: ſed *negative*, ſeu non tanta, qualis eſt illa Dei. Hoc ſenſu dixit Christus Math. XIX. 17. *Unus eſt bonus Deus*: nempe per eſſentiam: quo tamen non obſtante aliæ etiam creaturæ participatam quamdam bonitatem poſſident, quæ tamen cum Divina comparari nequeat. Patebit autem e dicendis, opera juſti vere coram Deo bona & vitæ æternæ meritoria eſſe.

25 Resolutio III. Juſtificatio non fit per eſſentialem Juſtitiam Dei nobis communicatam, qua in ſe juſtus eſt, & in juſtificato habitat. *Contra* Osiandrum.

Prob. I. Juſtificatio hominis *paſſiva actualis* prærequiritur ad inhabitationem Dei: ergo hæc non eſt ratio formalis juſtificationis. *Ant. Prob. Spiritus ſanctus non ha-*

bitat

bitat in corpore subdito peccatis. Sap. I. 4. ergo prius, quam Spiritus S. in anima habitat, illa passive justificata esse debet. Ideo S. AUGUSTINUS Epist. 105. ad Sixtum ait: „ Post remissionem peccatorum, nisi „ mundatam domum habeat spiritus S. non- „ ne cum aliis septem redit spiritus im- „ mundus? Ut autem inhabitet spiritus S. „ nonne ubi vult, spirat, & charitas Dei „ diffunditur in cordibus nostris, non a no- „ bis, sed a spiritu S. qui datus est no- „ bis? „

PROB. II. Si peccator efficitur justus per justitiam Dei essentialem in eo habitantem, sequitur, omnes esse æqualiter justos, & tantundem, quam justus fuit ipse CHRISTUS; si enim Deus nullam aliam, quam suam essentialem justitiam acceptat, tunc & ipse CHRISTUS non nisi per illam justitiam justus fuit: atqui hoc adversatur S. Scripturæ, cujus effato *de plenitudine Christi omnes accepimus* Joan. I. 16. & Ephes. IV. 7. *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Ergo unusquisque propriam habet, & pro varia præparatione diversam, ut dicetur cap. III. 26

PROB. III. Deus non solum per justitiam, sed per alia etiam attributa, immensitatem, omnipotentiam &c. in nobis habitat: atqui propter ista non dicimur *im-* 27

menſi, omnipotentes: ergo neque propter inhabitantem Dei juſtitiam dicimur, aut efficimur *juſti*. Et tamen ſcriptura non paucos appellat juſtos, ut Abel, Noe, Zachariam: ergo propter juſtitiam illis propriam.

28 PROB. IV. Si Deus nullam aliam, niſi ſuam eſſentialem juſtitiam acceptat, & per eam inhabitantem nos juſtos efficit, tunc nec juſtitiam Chriſti qua hominis acceptavit, utpote quæ non erat Divina; cum Deus in ſua natura ſatisfacere nequeat. Atqui hoc eſt abſurdum, & S. ſcripturæ adverſatur, quæ teſtatur, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, & mundum Patri reconciliaſſe. Si autem Deus Chriſti juſtitiam ſeu ſatisfactionem non acceptavit, tunc ille fruſtra paſſus ac mortuus fuit; quia etiam abſque eo Deus ſua juſtitia nos inhabitare & juſtificare potuiſſet. Crediderim, OSIANDRUM ad iſtud paradoxum delapſum fuiſſe, quod juſtificationem *paſſivam* cum *activa* confuderit: quod & proteſtantibus hodie ſolenne eſt.

29 OBJIC. I. In juſtificatione *Divinæ* efficimur *conſortes naturæ*. II. Petri. I. 4. ergo juſtitia Dei eſſentialis in nobis habitat.

II. Deus nullam aliam, niſi ſuam juſtitiam acceptat: ergo per eam efficimur juſti.

RESP. ad I.

Respond. ad I. Concedere poſſum, Deum in juſto habitare: ſed antequam habitet, prærequiritur juſtificatio paſſiva, & interior animæ renovatio. Ait enim Petrus l. c. per Chriſtum *maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc, non per juſtitiam Dei, ſed per gratiam Divinæ efficiamini conſortes naturæ.*

Resp. ad II. Juſtitiam acceptare, duplici ſenſu intelligi poteſt. I. quod Deus alienam juſtitiam pro peccatis noſtris debitam acceptet: & tunc verum eſt, eum non aliam, niſi infinitam, a Deo incarnato præſtandam ſatisfactionem, quam nulla pura creatura exhibere potuit, acceptare voluiſſe.

II. *Acceptare* ſumi poteſt pro *approbare* alicujus juſtitiam, ceu veram, ſibi placentem. Et hoc modo Deus etiam hominis juſtitiam, ſi modo vera & non phariſaica fuerit, acceptat & ratam habet, quemadmodum de Abel ſcribit Paulus Hebr. XI. 4. *fide plurimam hoſtiam Abel quam Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe* justus, *teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo.*

Resolutio IV. Juſtificatio non fit per 30
ſolam extrinſecam imputationem juſtitiæ Chriſti. *Contra Lutheranos.*

Dixi, per *solam extrinsecam* imputationem; quod enim Christi meritum & ejus satisfactio nobis imputetur, & per gratiam actualem, ex ejus merito nobis collatam, ad justificationem activam nos disponamus, & propter eum peccatorum remissionem gratis obtineamus, jam supra n. 8. ostendi. Debet autem in nobis præcedere *justificatio passiva actualis*, quæ item tota e Christi merito gratuita est n. cit. loquendo de adultis.

31 Prob. I. *Negative.* I. istud vocabulum *imputationis* Lutheranorum sensu non invenitur in SS. Litteris. Cum ergo ex illorum principiis nihil fide Divina credi possit, quod in S. Scriptura clare non reperitur expressum, aut per legitimam sequelam inde deducitur, sequitur, illos fundamentalem, ut ajunt, fidei articulum de justificatione præter scripturam admittere.

II. Ista imputatio ideo necessaria foret, quia peccata non vere delentur, sed justitia Christi contegi debent. Atqui iste error jam fuit refutatus Resolut. I. *ergo.*

III. Si alia adhuc foret imputationis hujus necessitas, tunc ista; quia justitia hominis propria tam perfecta esse nequit, ut hominem coram Deo vere justum efficiat: sed hoc erroneum est. *ergo &c. min. prob.* Justitia interna hominis præcipue consistit

ſiſtit in fide, ſpe, & charitate: atqui iſtæ in vita quoad ſubſtantiam perfectæ eſſe poſſunt; de fide enim Abrahæ id probat PAULUS Rom. IV. De charitate teſtatur JOANNES Epiſt. I. cap. II. *Qui ſervat Verbum ejus, vere in hoc charitas Dei* PERFECTA *eſt.* Noe ab ipſo Deo commendatur *Vir juſtus, atque perfectus.*

PROB. II. *Poſitive I.* juſtitia Chriſti, Proteſtantium ſenſu, ita peccatori imputanda foret, ut per eam formaliter nominetur juſtus. Sed hoc fieri nequit. ergo. 32
min. prob. Quando duæ formæ contrariæ ſubjecto inſunt, quorum altera extrinſecus, altera intrinſecus eam afficit, tunc denominatio a forma intrinſecus inhærente, tanquam principali, deſumenda eſt; ſic æthiops, cui propria & connaturalis eſt nigredo, propter candidam, qua amictus eſt, veſtem albus denominari non poteſt. Atqui ſecundum hypotheſin Proteſtantium homo duabus eſſet affectus formis contrariis, peccati enim macula, utcunque obtecta, intrinſecus ei inhæret, & Chriſti juſtitia exterius eum ornaret. ergo propter contrariam injuſtitiæ interioris formam juſtus denominari nequit, quia neque eſſet, in illorum principiis.

PROB. II. Si propter imputatam peccatori Chriſti juſtitiam ille juſtus & filius Dei dici poteſt, tunc etiam CHRISTUS propter 33

ter imputatam sibi nostram injustitiam injustus & filius Diaboli dici poterit. Sequela blasphema est, probatur tamen. Eo modo secundum Protestantes peccatori imputatur Christi justitia, quomodo nostra peccata, quæ a se expianda suscepit, Christo a Patre imputata fuerunt: ergo si propter imputatam peccatori justitiam Christi justus dicitur, & Dei Filius: etiam Christus propter imputatam sibi nostram iniquitatem, iniquuus & dæmonis filius dici poterit. Quoniam vero id horrent Christianæ aures, ex adverso potius infero: Christus propter nostram iniquitatem extrinsecus sibi imputatam dici non potest injustus &c. quia in se habet formam intrinsecam sanctitatis & filii Dei: ergo neque peccator, cui adhuc intrinsecus inhæret macula, quippe secundum Protestantes non vere deleta, justus & filius Dei dici nequit.

34 Nec obest, quod dicat Paulus de Christo II. Cor. V. 21. *Eum, qui non noverat peccatum*, (Deus) *pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* & ad Galat. III. 13. *Christus nos redemit de maledicto, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est: maledictus omnis, qui pendet in ligno.*

Hoc enim intelligendum est, quod factus sit victima pro peccato, opprobriis, maledictis

ledictis impetitus, infami denique morti in cruce ſubditus, pœnas peccatis noſtris debitas in ſe ipſo expians, *qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati ſumus.* 1. Petri II. 24. priore ſenſu de ſacerdotibus exponitur illud Oſeæ IV. 8. *peccata* (victimas pro peccato oblatas) *populi comedent.*

Objic. I. Imputatio juſtitiæ Chriſti qua 35
juſtificamur, fundatur in Verbo Dei; ſcribit enim Paulus Rom. IV. 5. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* ergo per juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, & nobis imputatam juſtificamur.

Respond. I. Scopus Pauli eo loci eſt oſtendere, per opera legis neminem juſtificari, ſed per fidem in Chriſtum, quæ prima eſt diſpoſitio, & ut proxima ſit, per charitatem operari debet.

Respond. II. Paulus non dicit, Chriſti juſtitiam nobis *imputari*, ſed quod fides nobis ad juſtitiam reputetur, ſeu cauſa ſit, ſaltem prima & remota, ut juſtificationem conſequamur. Volens enim oſtendere, juſtificationem eſſe gratuitam, nec operum antecedentium merito tribui, præmiſerat verſu 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum*

debitum.

debitum. Credenti autem &c. Sicut ergo operanti merces imputatur propria: ſic credenti, aliisque modis requiſitis ſe diſponenti imputatur juſtitia propria.

36 OBJIC. II. Idem PAULUS 1. Cor. I. 30. ait: *Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto JESU, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* ergo juſtitia Chriſti nobis imputata nos juſtificat.

REPSOND. *Diſt.* Chriſtus factus eſt nobis juſtitia, *cauſaliter*, ſeu, eſt cauſa noſtræ juſtitiæ *meritoria*, quemadmodum etiam eſt cauſa noſtræ ſanctificationis, & redemptionis. *conced. formaliter*, tanquam per ejus juſtitiam extrinſecus imputatam juſti efficeremur. *nego.* ſicut ergo per eum redemti, & ſanctificati ſumus; ita & juſtificati. Illius enim merito accipimus gratiam, qua renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & ex averſis a Deo ad eum convertimur, & Deus per amicitiam ad nos convertitur. Hinc nobis nihil tribuere poſſumus, & ideo ſtatim ſubjungit PAULUS l. c. *ut quemadmodum ſcriptum eſt: qui gloriatur, in domino glorietur.*

37 OBJIC. III. Idem PAULUS Epheſ. IV. 24. hortatur: *Induite vos novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſancti-*

tate

tate veritatis. ergo Chriſti juſtitia quaſi veſtimento in juſtificatione induimur.

Respond. Præmiſit eodem loco Apoſtolus: *Renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* Igitur renovatio animi actualis præcedere debet ante habitualem mentis in Deum, Deique in nos propenſionem. Hoc ergo modo induimus hominem, quo modo exuimus veterem; atqui hunc per pænitentiam vere deponimus, quomodo ſerpens depoſita pelle vetere novam ſibi propriam aſſumit: ergo & novam, nobiſque propriam juſtitiam induimus. Ideo autem juſtitia, quamvis nobis intrinſeca, indumento comparatur; quia nobis non eſt connaturalis, neque congenita, ſed a gratia Dei provenit, cui cooperantes propriam nihilominus juſtitiam adquirimus. Ex iſta ſimilitudine veſtimenti inferri non poteſt, juſtitiam alienam extrinſece nobis imputari; quamvis enim Paulus Philip. II. 7. dicat de Chriſto, quod ſit *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* inde tamen non ſequitur, quod ſecundum apparentiam ſolum, & non *vere* fuerit homo, quod fingebant Manichæi: aut quod humanam naturam per modum veſtimenti induerit, quod Nestorius aſſeruit.

Objic. IV. Idem Apoſtolus Philip. III. 38
9. ſcribit; *Ut inveniar in illo, non habens*

meam justitiam, quæ ex lege est, sed quæ ex fide est JESU Christi, quæ ex Deo est justitia in fide. ergo non justitia nostra nobis propria, & inhærente, sed illa Christi fide adprehensa justificamur.

Resp. Loquitur Apostolus de lege vetere, quæ sine fide in Christum neminem justificare poterat: id vero multo minus poterat, quo tempore penitus abrogata, & non inutilis modo, sed & mortifera effecta fuit. Denique istud solum colligitur, opera nostra ante justificationem facta hujus non esse meritoriam causam, sed Deum principaliter eam in nobis, libere tamen cooperantibus, efficere: quod omnes fatentur Catholici.

39 Resolutio V. Justificatio *passiva formalis* fit per internam animæ renovationem, & in justitia hominis propria atque intrinseca consistit: *ita Trident. Concil. Sess. VI. cap. 7.*

Prob. I. e S. Scriptura. Paulus Rom. V. 19. docet: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituentur multi.. ubi autem abundavit delictum, ibi superabundavit & gratia.* Unde sic infertur. Eo modo per Christum efficimur justi, quo per Adamum effecti fueramus peccatores: atqui eramus peccatores non per injustitiam Adami nobis extrinsece solum

ſolum imputatam, ſed per iniquitatem & maculam peccati originalis unicuique propriam & intrinſecam, ut ſuppono e Præleᶌt. de peccat. ergo & per Chriſtum efficimur juſti, non ſolum ejus juſtitia extrinſece nobis imputata, ſed propria nobis communicata: ſecus intrinſece adhuc foremus peccatores, & gratia non *ſuperabundaret* deliᶌto; illud enim nos intrinſece ex juſtis mutavit in peccatores, gratia autem Chriſti ſolum mutaret extrinſece, & *tegeret*, non *deleret peccatum*.

Idem Apoſtolus Epheſ. IV. 23. juſtificationem appellat *renovationem ſpiritus* mentis noſtræ, per quam vetus homo deponitur, & novus induitur, qui ſecundum Deum creatus eſt, adeoque in juſtificatione nobis reſtituitur, quod in Adamo perdidimus. Atqui perdidimus juſtitiam nobis propriam & intrinſecam. ergo eadem per Chriſtum reſtituitur. Hoc ſenſu S. Augustinus locum iſtum exponit lib. 6. de Geneſi ad litteram. „ Quomodo renovari „ dicimur, ſi non hoc accipimus, quod „ perdidit primus homo? hoc plane ac„ cipimus ſecundum quemdam modum. „ Non immortalitatem corporis recipimus, „ ſed accipimus juſtitiam, ex qua per pec„ catum lapſus eſt homo. „ 40

Iſtum quoque Pauli textum Rom. III. 22. *Juſtitia autem Dei per fidem JESU Chri-* 41

ſti, hoc modo de juſtitia, quæ nobis ex Deo propria eſt, intelligit AUGUSTINUS lib. de ſpiritu & littera cap. 9. „ Sicut „ autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non „ qua credit Chriſtus; ſic & illa juſtitia „ Dei, non qua juſtus eſt Deus; utrum„ que enim noſtrum eſt. Sed ideo Dei „ & Chriſti dicitur, quod ejus nobis „ largitate donatur. „ & Cap. 32. „ Cha„ ritas Dei dicta eſt *diffundi in cordibus* „ *noſtris*, non qua nos ipſe diligit, ſed „ qua nos facit dilectores ſuos: ſicut ju„ ſtitia Dei, qua juſti ejus munere effi„ cimur, & Domini ſalus, qua nos ſal„ vos facit. Hæc eſt juſtitia Dei, quam „ non ſolum docet per legis præceptum, „ verum & dat per ſpiritus donum. „

42 PROB. II. Ratione. In juſtificatione peccatoris quædam intercedit mutatio, ita, ut illum, quem Deus antea odio habuit, nunc diligere incipiat, ut SS. Litteræ paſſim affirmant: atqui iſta mutatio non in Deo intrinſece immutabili, ſed in ſubjecto ſeu peccatore fieri debet, ut ille jam ſit alius, nec amplius objectum odii, ſed Divinæ dilectionis exiſtat. Si autem iniquitas, quæ Deo odio eſt, in peccatore perduret, tunc nihil eſt, quod eum Deo gratum & amore dignum reddat. ergo iſta immutatio per animi renovationem præcedere debet, qua peccator antea a Deo averſus, nunc tota mente in Deum, ejusque

que legem propendeat, eum ſuper omnia diligat, nec unquam offendere velit. Iſta autem mutatio non eſt aliquid extrinſecus adveniens, cujusmodi eſſet imputata Chriſti juſtitia, ſed ſunt actus vitales ipſius hominis credentis, contriti, diligentis &c. ergo juſtificatio paſſiva in interna animi renovatione conſiſtit, & non ſolum juſtificationem ſubſequitur, ut tamen volunt Proteſtantes.

II. Dilectio Dei juſtificantis non eſt ſolum affectiva, ſed effectiva & efficax, & per hoc ab humana dilectione diſtinguitur, quod hæc in objecto amato bonitatem jam præexiſtentem ſupponat, & bonum majus illo exoptare quidem poſſit, non autem ſemper conferre valeat: Deus autem peccatorem amore beneficentiæ diligendo ipſum ejus bonum per gratiam actualem efficiat, atque ſic e malo meliorem effectum, amore amicitiæ complectatur. Quemadmodum ergo Deus hominem creando naturalia ei bona confert, quæ ſunt ei propria & intrinſeca: ſic hominem recreando ſeu juſtificando ſupernaturalia ei bona confert, ſicque amoris objectum, & Divinæ per gratiam naturæ efficit conſortem. Hæc omnia internam animæ renovationem demonſtrant. vid. n. 6. & 7. 43

§. III.

De causis Justificationis præsertim de fide.

44 Causas Justificationis non modo recenset, sed e Verbo Dei hunc in modum deducit TRIDENTINA Synodus Sess. VI. cap. VII. „ Hujus Justificationis causæ sunt, „ *finalis* quidem gloria Dei, ac Christi, „ & vita æterna; *efficiens* vero misericors „ Deus, qui gratuito abluit & sanctificat „ signans & ungens spiritu promissionis „ sancto, qui est pignus hæreditatis no„ stræ; *meritoria* autem dilectissimus uni„ genitus suus D. N. J. Christus: qui cum „ essemus inimici, propter nimiam chari„ tatem, qua dilexit nos, sua sanctissima „ passione in ligno crucis nobis justifica„ tionem meruit & pro nobis Deo Patri „ satisfecit. *Instrumentalis* item Sacramen„ tum Baptismi, quod est Sacramentum „ fidei, sine qua nulli unquam contigit „ justificatio. Demum unica *formalis* cau„ sa est justitia Dei, non qua ipse justus „ est, sed qua nos justos facit; qua vi„ delicet ab eo donati renovamur spiritu „ mentis nostræ, & non modo reputa„ mur, sed vere justi nominamur & su„ mus, justitiam in nobis recipientes unus„ quisque suam, secundum mensuram, „ quam Spiritus S. partitur singulis prout

„ vult, & ſecundum propriam cujusque „ diſpoſitionem & cooperationem &c. „ Itaque ante omnia juſtificandi diſpoſitio præcedere debet, quæ cauſa *materialis* dici poteſt, & quam tridentinum concilium deſcribit citata Seſſ. cap. 6. & ſupra n. 7. exſcripſi. De hac autem cum Proteſtantibus controverſia agitatur, qui ſoli fidei in Chriſtum eam rationem attribuunt, quæ omni alio hominis opere excluſo Deum movet, ut peccatori Chriſti juſtitiam imputet, eumque a pœna immunem declaret. Hinc illud ex LUTHERO fundamentale eorum axioma: *ſola fides*, ſine operibus, *juſtificat*, quam etiam particulam, *ſola*, ſuæ Scripturæ verſioni intruſit.

Neque tamen ille primus erroris hujus 45
inventor fuit. Præceſſerat dudum SIMON Magus, præter fidem & ſpem nihil aliud ad ſalutem requirens. Quamvis autem ejus ſectatores fidem ſuam & ſpem ponerent in SIMONE & HELENA impuriſſimo ejus ſcorto, & Proteſtantes unice ad Chriſtum referant: in eo tamen LUTHERUS cum SIMONE concordat, quod uterque legis obſervantiam & bona opera ad ſalutem neceſſaria eſſe negaverit. Contra iſtum errorem ſuas exararunt epiſtolas PETRUS, JACOBUS, JOANNES Apoſtoli, operum bonorum, & fidei vivæ, quæ per dilectionem operatur, neceſſitatem aſſerentes.

Haud adeo a SIMONE ablusit CARPOCRATES, qui per solam fidem & charitatem absque ullis aliis operibus salutem obtineri posse contendit. Horum ex parte vestigia presserunt LUTHERUS & CALVINUS, soli fidei, sine ulla alia præparatione justificationis gratiam adscribentes: licet eorum sectatores hodie fateantur, post justificationem opera bona, ceu illius fructus, necessario sequi debere, quibus hominis renovatio & *sanctificatio* perficitur.

46 Quod autem ipsum *fidei* vocabulum attinet, vario illud sensu ab Adversariis accipitur. Lutherani per eam intelligunt *fiduciam* in Christi merito collocatam, & desiderium, meritum Christi participandi, & ad quiescentiam animi in bonis per illud vere impetratis. SCHUBERT Instit. Theol. dogmat. §. 293. quamvis & veritatum revelatarum notitiam & assensum prærequirant, e quibus deinde illa fiducia oriatur. MOSHEMIUS element. Theol. dogmat. pag. 826. fidem non *subjective* considerat, ut est actus mentis, sed *objective*, ita ut non fides ipsa, sed meritum Christi fide apprehensum ratio sit movens, quæ Deum determinat ad proferendam sententiam absolutoriam. Etsi vero ille solam fidem justificare doceat exclusis operibus, fidem tamen requirit vivam, quæ pios animi motus in justificando eliciat, qui dici possint opera bona in actu

actu justificationis præsentia: quæ tamen ad justificandum non juvant.

CALVINUS triplicem distinguit *fidem*: 47
unam *historicam*, sumtam pro notitia & assensu veritatibus revelatis præstito. Alteram *fidem miraculorum*, qua res contra ordinem naturæ efficiuntur, de qua ait PAULUS I. Cor. XIII. 2. *si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* Denique *fidem promissionum*, qua peccator credit, Deum per merita Christi peccatorum remissionem, non omnibus solum in genere fidelibus, sed sibi quoque in particulari promisisse, & hac fide promissionem sibi applicans confidit, imo credit, peccata sibi esse remissa. Et hanc tertiam fidem, quæ, cum sit assensus, actus est intellectus magis quam voluntatis, justificare arbitratur: cum tamen illa fiducia Lutheranorum actus potius sit voluntatis.

Equidem secundum nostræ etiam Eccle- 48
siæ doctrinam fides & fiducia justificationem *activam* præcedere debet: sed fidei nomine intelligitur firmus assensus omnibus veritatibus revelatis præstitus, & pro actu virtutis Theologicæ accipitur, quemadmodum & illa fiducia ex actu spei consequitur. Quomodo autem per fidem & gratis tamen justificemur, sequentibus declarat TRIDENTINA Synodus Sess. VI. cap. 8. „ Cum vero Apostolus dicit, justificari

„ hominem *per fidem* & *gratis*, ea verba
„ in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem per-
„ petuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus te-
„ nuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem
„ ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt
„ humanæ ſalutis initium, fundamentum,
„ & radix omnis juſtificationis, ſine qua
„ impoſſibile eſt placere Deo, & ad filio-
„ rum ejus conſortium pervenire: *gratis*
„ autem juſtificari dicimur, quia nihil eo-
„ rum, quæ juſtificationem præcedunt,
„ ſive fides, ſive opera, ipſam juſtifi-
„ cationis gratiam promeretur; *ſi enim*
„ *gratia* eſt, *jam non ex operibus: alio-*
„ *quin*, ut idem Apoſtolus inquit, *gratia*
„ *jam non eſt gratia.* „ Contra inanem ve-
ro hæreticorum fiduciam cap. 9. docet:
„ Quamvis autem neceſſarium ſit credere,
„ neque remitti, neque remiſſa unquam
„ fuiſſe peccata, niſi gratis Divina miſe-
„ ricordia propter Chriſtum: nemini ta-
„ men fiduciam & certitudinem remiſſio-
„ nis peccatorum ſuorum jactanti & in
„ ea ſola quieſcenti, peccata dimitti, vel
„ dimiſſa eſſe dicendum eſt, cum apud
„ hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe &
„ noſtra tempeſtate ſit, & magna contra
„ Eccleſiam Catholicam contentione præ-
„ dicetur vana hæc & ab omni pietate
„ remota fiducia: ſed neque illud aſſe-
„ rendum eſt, oportere eos, qui vere
„ juſtificati ſunt, abſque ulla omnino du-
„ bitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe
„ eſſe

„ eſſe juſtificatos , neminemque a pecca-
„ tis abſolvi ac juſtificari niſi eum , qui
„ certo credat ſe abſolutum & juſtificatum
„ eſſe , atque hac ſola fide abſolutionem
„ & juſtificationem perfici : quaſi qui
„ hoc non credit, de Dei promiſſis, de-
„ que mortis & reſurrections Chriſti effi-
„ cacia dubitet. Nam ſicut nemo pius
„ de Dei miſericordia, de Chriſti merito
„ deque Sacramentorum virtute & effica-
„ cia dubitare debet : ſic quilibet dum
„ ſe ipſum ſuamque propriam infirmita-
„ tem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua
„ gratia formidare & timere poteſt ; cum
„ nullus ſcire valeat certitudine fidei , cui
„ non poteſt ſubeſſe falſum , ſe gratiam
„ Dei eſſe conſecutum. „

Resolutio I. Fides ad juſtificationem ne- 49
ceſſaria non eſt ſola *fiducia* , qua quis confidit , vel divinis promiſſionibus credit, peccata propter Chriſti meritum ſibi eſſe remiſſa : ſed eſt firmus aſſenſus omnibus veritatibus revelatis propter Divinam authoritatem præſtitus. *Contra Proteſtantes*.

Prob. I. Fides , quam S. Scriptura ad juſtificationem prævie neceſſariam requirit, eſt actus intellectus , ſeu aſſenſus omnibus veritatibus revelatis præſtandus : atqui fiducia , qua Lutherani confidunt peccata ſibi eſſe remiſſa, eſt actus voluntatis. er-

go hæc non eſt illa fides ad juſtificationem neceſſaria. *maj. prob.* Paulus de fide ut juſtificationis initio pertractans Hebr. XI. I. dicit: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* h. e. facit res ſperatas in intellectu ſubſiſtere, & eſt convictio, firmiſſima perſuaſio, vera illa eſſe omnia, quæ nondum videt, aut naturaliter non capit. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt*, Deum exiſtere, Beatitudinis ſperatæ authorem, malorum vindicem juſtiſſimum, bonorum remuneratorem liberaliſſimum, *& inquirentibus ſe remunerator ſit.* ibidem 6. atqui iſta fides non eſt mera fiducia, ſed hæc ex fide ſubſequitur, ergo.

50 Prob. II. Illa fides ad juſtificationem diſponit, quam Christus docuit, & ab Apoſtolis prædicari voluit: atqui hæc non eſt *fiducia*, ſed aſſenſus; dixit enim Marci ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit* (omnia dogmata prædicata) *& Baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.*

II. Fides, quam Christus a ſuis requirebat, non in eo conſiſtebat, ut ejus ſolum promiſſis *fiderent*, ſed ut Divinam naturam, aliaque myſteria ab eodem revelata firmo aſſenſu *crederent*, & huic fidei vitam æternam promiſit. Ergo hæc

ad

ad juſtificationem primo diſponit. *Ant. prob.* hanc fidem exigebat Math. XVI. 13. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis ? Vos autem quem me eſſe dicitis ?* poſtquam Petrus reliquorum nomine eum Dei vivi filium fuerat profeſſus, reſpondit : *Beatus es Simon . . quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt.* Hæc fides non erat *fiducia*, ſed aſſenſus.

III. Ad Martham dixit Joan. XI. 25. *Ego ſum reſurrectio & vita : Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet : & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc ? ait illi : utique Domine, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti :* hæc fides non eſt fiducia. Quia ergo ſine iſta fide, ſeu aſſenſu, non poteſt obtineri vita æterna ; hinc neque juſtificatio, quia non niſi juſtis & perſeverantibus promiſſa fuit.

PROB. III. Ratione. Ut fides ſit certa & 51
infallibilis, Verbo Dei revelantis inniti debet ; ſecus enim aut fides humana eſt, aut temeraria præſumptio, aut probabilis conjectura, ſpem inter ac metum fluctuans : atqui nemini in particulari, ordinarie ſaltem, facta fuit revelatio Divina, peccata ſibi eſſe remiſſa, uti quidem contigit Magdalenæ, & paucis forte aliis.

ergo

ergo nemo firmiter credere poteſt, ſibi eſſe remiſſa peccata. Promiſſiones enim Dei generales ſunt & conditionatæ, v. g. omnibus vere pænitentibus remittenda eſſe peccata: ſed utrum quiſque conditionem requiſitam digne adimpleverit, hoc ordinarie nulli revelatum eſt: ſed ſi fecit, quod potuit, pie *confidere*, non autem certo *credere* poteſt, ſe remiſſionem peccatorum fuiſſe conſecutum.

II. Fides ipſam juſtificationem præcedere debet, utpote quæ Deum movet ad peccata gratis condonanda, ut adverſarii volunt. Ergo non poteſt antecedenter credere, ſe jam eſſe juſtificatum. Sed ſperare poteſt, ſe fore juſtificandum, & illa fiducia ipſam juſtificationem ſubſequitur. Ergo non juſtificat.

Hæc fiducia removet ſtudium orationis, & operum bonorum. Quomodo enim Calvinianus orabit: *dimitte nobis debita noſtra*, qui firmiter credere debet, illa ſibi jam fuiſſe remiſſa?

52 Objic. S. Scriptura fidem ſæpius appellat *fiduciam*. Math. IX. 2. dixit Christus Paralytico: *confide fili, remittuntur tibi peccata.* ibidem 22. ad mulierem ſanguinis fluxu laborantem: *confide filia, fides tua te ſalvam fecit.* Et Paulus Hebr. X. 9. *habentes itaque fiduciam in ſanguine Chriſti . . . accedamus cum vero corde in plenitudine fidei &c.* Resp. I.

Resp. I. Nemo Catholicorum negat, quod juſtificandus etiam confidere & ſperare debeat, ſibi per gratiam Dei, ſi ei fuerit cooperatus, peccata remittenda fore: ſed hanc fidem vel fiduciam *ſolam* ſufficere, hoc negant.

Resp. II. Allegati textus id unum probant, requiri fidem, qua credimus, Deum peccata dimittere poſſe, & fiduciam, qua confidimus, Deum quoque dimittere velle. Sic Hæmorroiſſa credidit, *Chriſtum* poſſe, & ſperabat confidenter, eum velle ſanitatem impartiri. Ita propemodum S. Thomas 2. 2. Q. 129. a. 6. „ Nomen fiduciæ „ hoc principaliter ſignificare videtur, „ quod aliquis ſpem concipiat ex hoc, „ quod credit verbis alicujus auxilium „ promittentis. „

Quæ Proteſtantes porro objiciunt pro fidei firmitate de adepta juſtificatione, cap. III. expediuntur.

Resolutio II. Sola fides ad juſtificationem non ſufficit, ſed requiruntur & alii actus ſupra n. 7. e tridentino concilio enumerati. *Contra Proteſtantes.* 53

Prob. I. Actus illi, quos Eccleſia ex perpetuo conſenſu pro præparatione requirit, omnes fundantur in Verbo Dei. Primus eſt *fides*, quæ ordinarie eſt *ex*

auditu

auditu Rom. X. 17. *accedentem* enim *ad Deum oportet credere.* Hebr. XI. atque illud in primis, juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU Rom. III. 24. Alter eſt *contritio*, de qua loquitur Eccleſiaſticus cap. I. *Timor Domini expellit peccatum.* Hoc enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt. Jonæ III. Math. XII. Luc. XI Tridentinum Concilium Seſſ. XIV. cap. 4. Tertius eſt *ſpes* & *fiducia*, quæ fundatur in illo Math. IX. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quartus eſt *dilectio* Dei initialis, cujus neceſſitatem in Prælection. de Pœnitent. oſtendi, & facile patet ex illo Gal. V. 6. *In Chriſto JESU neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Quintus eſt *pœnitentia* & peccati odium. Act. II. *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque &c.* Sextus eſt *propoſitum* ſuſcipiendi Baptiſmum, inchoandi novam vitam, & ſervandi Divina mandata, ut præcipitur Math. Ult. *Euntes ergo docete omnes gentes Baptizantes eas . . . docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Igitur iſti actus omnes prærequiruntur, & non ſola, ac ſolitaria fides.

Prob. II. Christus Mulieri peccatrici peccata remiſit, non quia ſolum credidit illum eſſe Meſſiam, ſed quia dilexit multum. Luc. VII. 47. 54

Prob. III. Paulus I. Corint. XIII. 2. fidem ſine charitate inutilem arbitratur. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Prob. IV. Idem Paulus Gal. V. 5. circumciſionem & opera legis ceu inutilia repudians, ait: *Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ* (ſperatam juſtitiam) *exſpectamus.* Loquitur autem verſu ſequente de fide, *quæ per dilectionem operatur.* Hæc verba priora duplicem poſſunt habere ſenſum. I. ex fide ſperamus vitam æternam, quæ eſt merces juſtitiæ; ſæpe enim Paulus vocabulo ſpei utitur pro objecto, ſeu bono ſperato, ut Tit. II. 13. *exſpectantes beatam ſpem*, ſeu beatitudinem ſperatam. II. Ex fide ſperamus juſtificationem. Utrumque ſenſum admittit S. Augustinus. Poſterior autem litteræ & ſcopo Pauli magis videtur congruere. Atqui hæc fides non eſt ſolitaria, ſed conjuncta cum ſpe, & per charitatem operatur. *ergo.* 55

Prob. V.

56 Prob. V. Jacobus Apoſtolus ex inſtituto refutat errorem Simonianorum, qui ſolam fidem ſine operibus juſtificare docebant. Sic autem ſcribit II. 14. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquam poterit fides ſalvare eum . . . fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa . . . videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Legatur caput integrum. Quamvis autem Lutherus iſtam epiſtolam, ceu *ſtramineam*, e canone SS. Librorum expunxit, Lutherani tamen hodie, diſcipuli ſupra Magiſtrum, illam ut canonicam venerantur, & ex eadem operum bonorum neceſſitatem tanquam juſtificationis fructus, contra Lutherum deducunt.

57 Prob. VI. S. Augustinus integro libro *de fide & operibus* probat, ſolam fidem non ſufficere, & cap. 14. ita ſcribit. „ Quam „ ob rem jam illud videamus, quod ex- „ cutiendum eſt a cordibus religioſis, ne „ mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, „ ſi ad eandem obtinendam, fidem ſuffi- „ cere putaverint, bene autem vivere „ & bonis operibus viam Domini tenere „ neglexerint. Nam etiam temporibus „ Apoſtolorum non intellectis quibusdam „ ſubobſcuris ſententiis Apoſtoli Pauli „ hoc quidam arbitrati ſunt. „ Addit deinceps, Petrum, Jacobum, Joannem ac

Judam contra istum errorem suas exarasse epistolas, & ex ipso Paulo assertum suum deducit.

Prob. VII. Ratione. Si sola fides justificat sine operibus bonis, tunc id efficere potest etiam tunc, quando sejuncta est a spe & charitate, & emendationis proposito; si enim opera fidei juncta nihil ad justificationem *passivam* contribuunt tunc absentia nihil impediunt. atqui ista sequela adversatur SS. litteris n. 53. & firmatur ex eo; quia si fides a reliquis virtutum operibus sejuncta justificat, id etiam potest conjuncta cum vitiis, virtutibus illis oppositis, modo non fidei directe opponantur; fides enim virtutibus juncta sine illis justificat. Ergo etiam juncta vitiis justificat. Ut enim virtutes nihil contribuunt, ita vitia nihil impediunt. Hoc autem absurdum esse, nemo non videt. 58

Prob. VIII. Si sola fides justificat, tunc sola fide sine operibus aliquis salvari potest; per fidem enim esset justificatus & haberet jus ad vitam æternam. Si ergo ex hac vita cum fide decederet, quamquam bonis operibus vacuus, damnari non posset: aut sequitur, quod propter fidem jus ad beatitudinem, propter omissionem operum obligationem ad pœnas æternas haberet. Atqui hæc & verbo Dei & sanæ rationi epugnant. Christus 59

enim Math. VII. 21. edixit. *Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei.* Voluntas autem Dei eſt, ut præter fidem etiam ex dilectione operemur. *Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra*, ut teſtatur PAULUS I. Theſſ. IV. 3. & amplius patebit e cap. IV.

60 OBJIC. S. Scriptura conſtanter docet, hominem juſtificari per fidem ſine operibus: ergo ſola fides juſtificat. *Ant. prob.* Rom. III. 28. *arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Galat. II. 16. *Scientes autem, quod non juſtificatur homo ex opecibus legis, niſi per fidem JESU Chriſti: & nos in Chriſto JESU credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro.* Epheſ. II. 8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem: & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt. Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Tit. III. 3. *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſalvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. quem effudit in nos abunde per JESUM Chriſtum ſalvato-*

ſalvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.

Resp. *Diſt. Ant.* docet hominem juſtificari ſine operibus legis *veteris*, ceremonialis jam tunc antiquatæ & inutilis. *conc.* ſine operibus virtutum & legis naturæ. *Nego* & *ſubdiſt.* ſine operibus, quæ haberent rationem *meriti. conc.* quæ haberent rationem *diſpoſitionis*, quibus fit interna hominis renovatio, & juſtificatio paſſiva actualis. *nego.* Scopus Pauli in epiſtola ad Romanos eſt oſtendere, nec Judæos per legis Moſaicæ, nec gentiles per legis naturalis obſervantiam, vocationem ad fidem & juſtificationem fuiſſe promeritos, ſed utramque gratis a Deo fuiſſe conceſſam, quin tamen poſt gratiam fidei actualis excludere cogitaverit opera & voluntariam præparationem: erroneam enim hanc expoſitionem & ſiniſtrum ſenſum Paulo affictum poſt Jacobum Apoſtolum jam dudum refutavit Augustinus lib. de grat. & lib. arbit. cap. 7. „ Homines non „ intelligentes quod ait ipſe Apoſtolus: „ *arbitramur hominem juſtificari per fidem* „ *ſine operibus legis*, putaverunt eum di- „ cere, ſufficere homini fidem, etiamſi „ male vivat, & bona opera non habeat: „ quod abſit ut ſentiret vas electionis. „ In epiſtola autem ad Galatas manifeſtum eſt, Apoſtolum agere contra Judaizantes, qui negabant, fidem in Chriſtum ad ſalu-

 tem

tem ſufficere, niſi eidem obſervantia legis Moſaicæ adjungatur. Itaque hoc unum intendit, quod & Catholica docet Eccleſia, ſine fide in Chriſtum nec per opera legis naturalis, nec Moſaicæ, unquam aliquem fuiſſe juſtificatum: *ſolam* autem & *ſolitariam* fidem in Chriſtum ſine contritione, ſpe, charitate, aliisque actibus a gratia actuali provenientibus, Deum movere ad juſtificationem activam, nunquam Paulo in mentem venit, qui expreſſe requirit *fidem*, *quæ per charitatem operatur*. Miror eruditos Proteſtantes erroneo huic Lutheri principio, & contortæ expoſitioni, imo depravationi verborum Pauli adhuc immorari velle, quam facile excuterent, ſi animo a præjudiciis libero Paulum ipſum evolverent. Utique enim juſtificatio *activa*, quam illi a *paſſiva* non ſatis diſtinguunt, & ideo ad hanc confuſam ideam delapſi ſunt, promiſſa eſt veræ ad Deum converſioni: hæc autem non ſola fide abſolvitur, ſed animi mutationem, veteris hominis depoſitionem, maxime autem actum charitatis, quo Deum ultimum nobis finem conſtituimus, præſupponit.

61 Objic. II. S. Scriptura aliquoties *ſoli* fidei juſtificationem adſcribit. Christus enim Luc. VIII. 48. ad mulierem ſanguinis fluxu laborantem, quæ occulte fimbriam veſtimenti ejus tetigerat, & confeſtim ſanata fuerat, dixit: *filia*, *fides tua ſalvam te fecit*.

II.

II. Ad Patrem autem puellæ defunctæ ait ibid. 50. *Noli timere, crede tantum & salva erit.*

III. Joan. III. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.*

IV. Rom. VI. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus.*

Resp. I. Nullo horum textuum asseritur, *sola* fide hominem justificari. Quamvis enim Paulus dicat Rom. VIII. 24. *spe salvi facti sumus*: & Christus Luc. VII. 47. testetur, Mulieri multa peccata remissa fuisse, *quia dilexit multum*: inde tamen Protestantes inepte concluderent, sola spe, aut sola charitate, quam illi a fide excludunt, hominem justificari. Quando enim ad eundem effectum plures requiruntur dispositiones, aut causæ concurrunt, quandoque illi, nunc alteri, non solitariæ sed reliquis conjunctæ effectus attribuitur. Quod autem justificatio sæpius fidei adscribatur: ratio est; quia hæc est prima dispositio & fundamentum, sine qua impossibile est placere Deo: & quia Christi meritum, quod fide apprehendimus, est causa principalis meritoria, quæ Deum ad conferendam justificationis gratiam movet.

Resp. II. ad I. *Dist.* fides tua, qua credidisti, me verum Deum esse, & *posse*,

ac confidebas, me *velle* ſanitatem tibi reſtituere, te ſalvam fecit. *conc.* qua ſolum credidiſti, aut ſolum confidiſti. *nego.* Videtur autem hic ſermonem eſſe de ſalute corporali, non animæ: quo ſenſu textus ad rem præſentem non pertinent.

Resp. ad II. Illa verba huc inepte trahuntur; non enim ibi de juſtificatione, ſed miraculoſa ſanitate corporis agitur. Alias ſequeretur, etiam fidem alterius pro alio ad juſtificationem ſufficere; non enim filia ipſa, ſed Pater monetur credere, quod Chriſtus poſſit, & fidere, quod velit eam curare. Hoc autem neque Lutherani dicent, qui nec pro parvulo alienam fidem in baptiſmo admittunt.

Resp. ad III. *Diſt.* Qui credit in filium, & omnia ab eo revelata. *conc.* qui ſolam habet fidem ſine operibus. *nego.*

Resp. ad IV. Juſtificati ex fide *ſola.* *nego.* ex fide per charitatem operante. *conc.*

62 Objic. III. S. ſcriptura docet, hominem *gratis* juſtificari. Rom. III. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Sed ſi opera requiruntur, juſtificatio non eſt *gratuita;* quia ſecundum eundem S. Paulum Rom. IV. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam ſed ſecundum debitum. Ei vero qui non operatur, credenti*

autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.

Resp. *Dist.* Docet, hominem *gratis* justificari, hoc sensu, quod opera justificationem antecedentia eam de condigno, aut congruo stricte sumpto non mereantur. *conc.* justificari sine omnibus operibus, quæ, a gratia actuali orta, habent rationem nudæ dispositionis. *nego.* Quamvis itaque opera *naturalia*, aut legis veteris, nihil ad justificationem contribuant, ea tamen, quæ spiritu sancto movente agimus, nos interius, immutant, disponunt, passive justificant, & Deum ad justificationem activam movent, eamque late loquendo promerentur. Ita S. Augustinus Epist. 105. ad Sixtum. „ Nec ipsa remissio peccatorum *sine aliquo merito* est, si fides hanc „ impetrat. Restat igitur, ut ipsam fidem, „ unde omnis justitia sumit initium, non „ humano, quo isti extolluntur, tribuamus „ arbitrio, nec ullis præcedentibus meri- „ tis (naturalibus) quoniam inde incipi- „ unt bona, quæcunque sunt merita, sed „ gratuitum Dei donum esse fateamur. „ Quod si autem to *gratis* sensu tam stricto accipi debet, ut omnia hominis excludantur opera: ergo neque fides requiritur, quæ & ipsa hominis opus est, dicente Christo Joan. VI. 29. *hoc est* opus *Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.*

 Objic.

63 Objic. IV. Veteres quoque Patres sola fide hominem justificari docent. Origenes in cap. III. Rom. II. „ Et dicit Apo„ stolus, sufficere solius fidei justificatio„ nem: ita ut credens quis tantummodo, „ justificetur, etiamsi nihil operis ab eo „ fuerit expletum.

II. Joannes Chrysostomus homil. de fide & lege naturæ: „ eum qui operatur „ opera justitiæ, sine fide non possum „ probare vivum esse: fidelem absque ope„ ribus possum monstrare, & vixisse & „ regnum cælorum assecutum. Nullus „ sine fide vitam habuit: Latro autem „ credidit tantum, & justificatus est „ eodem fere modo loquitur Augustinus lib. 83. Quæst. 76.

III. S. Hilarius Pictaviensis can. 8. in Math. „ Movet scribas, remissum ab ho„ mine peccatum; hominem enim tan„ tum in JESU Christo intuebantur, & „ remissum ab eo, quod lex laxare non „ poterat. Fides enim sola justificat. „ Ita & alii.

Respond. ad I. & II. sensus est, *extraordinarie* aliquem adultum justificari posse sine opere *externo*, quod esset fructus, & signum adeptæ justitiæ, non autem sine actibus *internis* dispositivis, & proposito deinceps bene operandi. Loquuntur enim de

de peccatrice & latrone, qui præter fidem magnam habuerunt animi contritionem, & flagrantem charitatem. Iſta contingere poteſt adulto, poſt juſtificationis gratiam immediate ex hac vita abrepto, qui temporis & occaſionis defectu opera pœnitentiæ exterius exequi impeditur, quæ jam animo concepit.

Repsond. ad III. *Diſt.* Sola fides, prout opponitur legi Moſaicæ, quæ ex ſe vim juſtificandi non habuit ſine fide ſaltem implicita in Chriſtum, juſtificat. *conc.* ſola fides ſine ulla alia diſpoſitione animi. *nego.* Ita & hodie dicere ſolemus, ſola fides Catholica juſtificat, ut opponitur Judaiſmo, Paganiſmo, omnibusque hæreticorum ſectis: neque tamen id ita intelligimus, quaſi ſola fides ſpeculativa ſine aliis conditionibus & operibus hominem ſalvare poſſit; Religio enim Catholica & fidem & mandatorum omnium obſervantiam involvit.

CAPUT II.

De natura gratiæ juſtificantis.

Juſtificationem noſtram formaliter non 64
conſiſtere in extrinſeco Dei favore, quo Chriſti juſtitia per fidem apprehenſa ei imputatur, peccatum tegitur,

a pœna abſolvitur, & jus hæreditatis cæleſtis reſtituitur, ſed in interiore animi renovatione & juſtitia unicuique propria, pro menſura diſpoſitionis per ſpiritum S. infuſa, ex hactenus dictis contra Proteſtantes patet. Hanc ipſam vero juſtitiam in homine catholici fieri docent per gratiam ſanctificantem & charitatem habitualem, in cordibus noſtris diffuſam, quæ dicitur *donum ſupernaturale animæ intrinſecus inhærens per modum habitus, quo homo formaliter redditur juſtus, ſanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus & hæres vitæ æternæ. Fundatur hæc deſcriptio in SS. litteris; ait enim* PAULUS I. Cor. VI. 11. *Et hæc quidem fuiſtis (iniqui) ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine D. N. J. Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Epheſ. II. 4. *Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati, & conreſuſcitavit.* Concilium quoque TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 7. docet. „ Hanc diſpoſitionem, ſeu præ„ parationem, juſtificatio ipſa conſequi„ tur, quæ non eſt ſola peccatorum re„ miſſio, ſed & ſanctificatio, & renova„ tio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum &c.

65 De hujus igitur gratiæ habitualis, de ſe ſtabilis natura & eſſentia, diverſæ in

ſcho-

ſcholis circumferuntur hypotheſes. PETRUS LOMBARDUS Epiſcopus Pariſienſis, dictus *Magiſter ſententiarum*, qui gratiam ſanctificantem a charitate habituali non diſtinguit, illam non habitum aliquem creatum, ſed ipſam dixit eſſe ſpiritus ſancti perſonam in anima juſti habitantem, qui eam immediate ad actus charitatis movet; ſeu habitu in Deum propendere & diligere facit. Theologi illi, qui peripateticis principiis ſcholaſticam Theologiam inædificarunt, & accidentibus abſolutis innutriti ſunt, gratiam ſanctificantem putant eſſe ens quoddam creatum, animæ ſuperadditum, realiter ab eadem diſtinctum, eidemque ſtabiliter, quantum eſt de ſe, inhærens. Et Thomiſtæ quidem eam in genere qualitatis & habitus, a charitate habituali realiter, ſecundum alios virtualiter, aut ſola ratione diſtincti, conſtituunt: alii ad potentialitatem referunt. Theologi quos Neotericos dicunt, quibus tot entitates & accidentia abſoluta repugnare, aut ſaltem abundare videntur, gratiam ſeu charitatem, quippe ſecundum eosdem unam eandemque, ſubſtantialem dicunt animæ modificationem, qua prius a Deo averſa per actum autem charitatis, ceu ultimam diſpoſitionem, in Deum converſa, & actu paſſive juſtificata ſpiritum S. accipit inhabitantem, qui ſtabilem mentis propenſionem ad Deum in ea efficit, & ad actus charitatis, aliaque virtutum opera

opera inclinat, ſicque charitatem in ea diffundit, dum eam promptam reddit, ut voluntati Dei in omnibus ſe conformet, ejusque legem adimplere ſtudeat: quod ſuo loco amplius explicabitur.

66 Omiſſis pluribus quæſtionibus certe frivolis & otioſis, quas olim pertractare ſolebant ſcholaſtici, v. g. An adoptari in filium Dei etiam conveniat creaturæ rationali: An ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ: An illa immediate a Deo fiat per creationem, an per eductionem e potentia animæ: An per abſolutam Dei potentiam formaliter aliquis juſtificari poſſit per actum contritionis, non infuſa gratia habituali: An unum peccatum mortale abſolute remitti ſine altero valeat: An gratia & peccatum mortale in eodem ſubjecto abſolute loquendo conſiſtere poſſint: An ſaltem in alia providentia homo juſtificari poſſit per ſolam extrinſecam Dei condonationem, non infuſa gratia juſtificante: An hæc neceſſaria fuiſſet in ſtatu naturæ puræ &c. His inquam aliisque hujus furfuris quæſtionibus & nugis methaphyſicis prætermiſſis, §. I. inquiritur, an gratia & charitas realiter ab invicem diſtinguantur. II. Quæ ſit natura gratiæ ſecundum Peripateticos. III. An Eccleſia unquam definiverit, gratiam eſſe

accidens abſolutum realiter ab anima diſtinctum, eidemque inhærens. IV. Quæ ſit natura gratiæ ſecundum Neotericos.

§. I.

An gratia a charitate realiter diſtinguatur.

RESOLUTIO. Gratia juſtificans eſt ipſa cha- 67
ritas habitualis, per ſpiritum S. in corde juſti diffuſa.

Hanc reſolutionem Thomiſtis oppoſitam, quamque JUENIN, TOURNELIUS, BERTI, aliique ab his allegati propugnant, nemo utique erroris arguet.

PROB. I. Omnes effectus & munia, quæ gratiæ ſanctificanti tribuuntur, S. ſcriptura charitati attribuit: ergo non niſi nomine ab invicem differunt. Primus eſt peccatorum remiſſio: hanc PETRUS tribuit charitati I. ep. IV. 8. charitas operit multitudinem peccatorum. Alter, quod vitam reſtituat ſpiritualem, & nos regeneret: quod facit charitas I. Joan. III. 14. *Scimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* III. Hominem Deo gratum reddit & amicum: id præſtat charitas. Joan. XIV. 21. *Qui di-*

ligit

ligit me , diligetur a Patre meo : & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , & manſionem apud eum faciemus. IV. Filium Dei efficit adoptivum , id charitas facit I. Joan. IV. 7. *Omnis qui diligit , ex deo natus eſt.* I. Joan. III. 1. *Videte , qualem charitatem dedit nobis Pater ut Filii Dei nominemur & ſimus.* V. Deo nos unit , eumque in nobis habitare facit. Id charitati proprium. I. Joan. IV. 6. *Qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo.* I. Cor. VI. 7. *Qui adhæret Domino* , quod fit per charitatem , *unus ſpiritus eſt.* VI. Gratia eſt radix meriti , & cauſa ſalutis. Idem autem charitati Paulus attribuit I. Corint. XIII. ſine qua nec fides nec Martyrium prodeſt. VII. gratia eſt ſemen vitæ æternæ. Idem docet Jacobus de charitate. I. 12. *accipiet coronam vitæ , quam repromiſit Deus* DILLGENTIBUS *ſe.*

68 PROB. II. TRIDENTINA ſynodus declarans, cauſam formalem noſtræ juſtificationis paſſivæ eſſe juſtitiam inhærentem , eam dicit eſſe *charitatem* , nulla gratiæ ſanctificatis facta mentione Seſſ. VI. cap. 7. „ Id „ in hac impii juſtificatione fit , dum ejusdem „ ſanctiſſimæ paſſionis merito per „ ſpiritum S. *charitas Dei diffunditur in cor-* „ *dibus eorum* , qui juſtificantur , atque ip- „ ſis inhæret. Unde in ipſa juſtificatio- „ ne cum remiſſione peccatorum hæc om- „ nia ſimul infuſa accipit homo per JE-

SUM

„ SUM Chriſtum cui inſeritur, fidem, „ ſpem & charitatem. „ Imo concilium hoc ne ſemel quidem gratiæ ſanctificantis meminit. ergo eam a charitate indiſtinctam eſſe ſupponit.

Prob. III. S. Augustinus lib. de nat. & 69
grat. ad finem, juſtitiam hominis a charitate non diſtinguit, ideoque nec a gratia. „ Charitas ergo inchoata, inquit, in„ choata juſtitia eſt: charitas provecta, „ provecta juſtitia eſt: charitas magna, „ magna juſtitia eſt: charitas perfecta „ perfecta juſtitia eſt. „ Hæc autem perfecta juſtitia eſt ipſa ſanctificans gratia, quæ hominem formaliter juſtum reddit. *ergo.*

Prob. V. Ideo gratia a charitate eſſet 70
diſtincta, quia charitas, tanquam virtus ſupernaturalis ad operationem directa, ſupponeret, animam per gratiam in eſſe naturæ ſupernaturali jam conſtitutam; eoquod operari ſequatur ad eſſe, ut ajunt: ſed hæc ratio nihil evincit; quamvis enim fides & ſpes pariter ſint virtutes ſupernaturales, non tamen ſupponunt animam prius in ordine ſupernaturali per gratiam eſſe conſtitutam; cum etiam ſine illa habitus illarum virtutum in peccatore exiſtant. Ergo neque &c.

Scio quid huic argumento reſponderi 71
ſoleat, & ipſe quondam reſponderim.

Diſtin-

Diſtinguunt enim : fides & ſpes in peccatore exiſtunt , in ratione ſolius *habitus*, concedunt, in ratione *virtutis*. negant.

Quid autem hæc ſibi velint, nec ipſe nunc ſatis capio. Fides & ſpes in prima ſui infuſione & habitus erant, & virtus: amiſſa per peccatum. quod fidei & ſpei non oponitur, charitate remanent, & non raro in actus exeunt, peccatorem ad juſtificationem diſponunt , & defectu relationis in Deum per charitatem , tantum non *merentur* , quia ſunt , ut ajunt , informes. Igitur & habitus , & virtutes eſſe perſeverant, quia ſtabilis illa propenſio ad credendum veritatibus revelatis, & fidendum Divinis promiſſis perdurat.

72 OBJIC. I. Paulus II. Corint. XIII. gratiam diſtinguit a charitate. *Gratia D. N. J. Chriſti* , ET *charitas Dei* , *& communicatio S. ſpiritus ſit cum omnibus vobis.*

II. Concilium TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 7. docet, juſtificationem eſſe renovationem hominis interioris *per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum.* Ubi virtutes diſtinguuntur a gratia. Et can. 9. „ Si quis dixerit, hominem juſtificari vel „ ſola imputatione juſtitiæ Chriſti , vel ſola „ remiſſione peccatorum *excluſa gratia* & „ charitate &c.

RESP. ad I.

RESP. ad I. Particula, &, non ſemper eſt ſignum diſtinctionis, ſed quandoque identitatis; ut in illo textu Pauli II. Cor. I. 3. *Benedictus Deus* ET *Pater D. N. J. Chriſti, Pater miſericordiarum*, ET *totius conſolationis. &c.* Ubi hunc ſenſum facit: Deus, qui *etiam* eſt Pater Chriſti, & miſericors & conſolator, ſit benedictus. Sic & in textu oppoſito. Forte autem PAULUS Trinitatem perſonarum ibi declarare voluit, ut per *Deum* intelligat *Patrem*: reliquas perſonas ſingillatim exprimit, quas realiter ab invicem diſtingui, fides docet. Si autem de dono loquitur, tunc eadem gratia eſt charitas, & ſimul communicatio S. ſpiritus, qui in juſtificato habitat, & in eo charitatem diffundit, ſeu animam habitualiter diligentem efficit. Aut charitas *Patris* propter *Chriſti* meritum, *ſpiritum* ſanctum gratis communicat.

RESP. ad II. Per *dona* intelliguntur fides, ſpes, ac reliquæ virtutes morales, non ipſa *charitas*. Verba autem canonis facillime exponuntur ſenſu paullo ante dicto ad I. hoc eſt, *excluſa gratia*, quæ *etiam* dicitur, & *eſt* charitas.

OBJIC. II. Charitas & gratia ſeparari poſſunt, quantum ad ſuos effectus: ergo realiter diſtinguuntur; quia realis ſeparatio evidens ſignum eſt diſtinctionis realis. *Ant. Prob. I.* Effectus gratiæ ſanctifican- 73

tis eſt reddere hominem Deo gratum: charitatis autem, reddere hominem diligentem: atqui fieri poteſt, ut homo Deo gratus eum tamen non diligat. *ergo*. *Ant. Prob. II.* Poteſt aliquis habere charitatem, quin habeat gratiam ſanctificantem: ſecus quælibet charitas etiam remiſſa juſtificaret: ergo ſeparari ab invicem poſſunt.

Resp. *Nego ant.* Ad Prob. I. *diſt. min.* fieri poteſt, ut homo Deo gratus eum aliquo momento *actu* non diligat. con. ut non diligat *habitu*. nego. Effectus igitur charitatis habitualis non eſt, ut hominem reddat *actu* diligentem; hoc enim efficit gratia actualis cælitus inſpirata, ſed ut hominem ſtabiliter reddat propenſum ad diligendum Deum pro tempore, occaſione & obligatione præcepti. Ad prob. II. *diſt. ant.* Poteſt quis habere charitatem *actualem*, remiſſam, quin habeat gratiam ſanctificantem *conc.* Poteſt habere charitatem *habitualem*, ſine gratia ſanctificante ſeu juſtificatione. *nego.* Cuilibet actui charitatis debili non eſt promiſſa juſtificatio activa Dei: cum autem perfectus fuerit, eſt ipſa juſtificatio paſſiva actualis. & ultima diſpoſitio ad juſtificationem Dei activam.

74 Objic. III. Principium eſſendi diſtinguitur a principio operandi: atqui gratia

ſancti-

ſanctificans eſt principium eſſendi ſupernaturale, cum ſit participatio naturæ Divinæ: charitas autem eſt principium operandi, quod naturæ ſuperadditur. *ergo.*

Resp. Hoc argumentum ſupponit, non dari ſubſtantiam creatam immediate operativam, animam realiter diſtingui a ſuis potentiis &c. Quod ſalva fide eadem facilitate negatur, qua ſupponitur. Cumque e n. 67. conſtet, per charitatem nos fieri Dei filios, & Divinæ conſortes naturæ, facile ſequitur, illam eſſe principium *eſſendi*: principium autem *operandi* ſupernaturaliter eſt gratia actualis, quæ tribuit poſſe, & ipſum actum: prius quidem, ſi ſufficiens fuerit: alterum, ſi efficax.

Objic. IV. S. Augustinus lib. de grat. Chriſti cap. 26. ait, *nos gratia Dei accipere charitatem.* Ergo gratia prior eſt charitate, & ab hac tanquam effectu diſtincta. 75

II. Eodem lib. cap. 30. docet, per gratiam diffundi charitatem. „ Iſtam quippe „ gratiam, inquit, qua juſtificamur, id „ eſt, *qua charitas Dei diffunditur in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui* „ *datus eſt nobis*, in Pelagii & Cæleſtii „ ſcriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda eſt, confiteri. „

 Resp. ad I.

Respond. ad I. Loquitur Augustinus de gratia *actuali* & inspiratione sanctæ dilectionis, sine qua nihil boni agimus: non autem de gratia sanctificante, & charitate *habituali*. Ait enim ibidem. „ Quid „ autem boni faceremus, nisi diligeremus? „ Aut quomodo bonum non facimus, si „ diligamus? Etsi enim Dei mandatum vi„ detur aliquando non a diligentibus, sed „ a timentibus fieri, tamen ubi non est „ dilectio, nullum opus bonum imputa„ tur, nec recte bonum opus vocatur. „

Respond. ad II. Hic quidem loquitur de gratia habituali, quam etiam Pelagius, etsi non recto ex omni parte sensu, admisit, ut ostendi Tom. VI. n. 36. Et Augustinus se ipsum exponit, dum gratiam, qua justificamur, id est, qua charitas diffunditur, idem cum charitate esse asserit. Si enim charitas est forma justificans, tunc est ipsa gratia sanctificans.

§. II.

De Natura gratiæ sanctificantis in systemate Peripateticorum.

76 Resolutio. Gratia sanctificans secundum illos est donum supernaturale animæ realiter superadditum, & inhærens per

per modum habitus, adeoque accidens abſolutum.

Prob. I. Definitio concilii Tridentini Seſſ. VI. Cap. 7. Cap. 16. Can. 11. tria conſtanter exprimit, ſcilicet quod gratia ſanctificans (quam nomine juſtitiæ vel charitatis effert) cauſa efficiente externa ſpiritu S. *diffundatur*, ſeu *infundatur* II. Quod ipſa ſit *cauſa formalis*, ſeu forma juſtificans. III. Quod ſubjectum *receptionis* & *inhæſionis* ſint corda ſeu animæ noſtræ; atqui hi ſunt ipſiſſimi characteres formæ realiter ſuperadditæ ſubjecto, ſeu accidentis abſoluti, faciunt enim hunc obvium ſenſum: gratia ſanctificans eſt forma a ſpiritu S. producta, & in anima recepta, eique inhærens. Atque hic eſt ſenſus conſtans Eccleſiæ deſumptus ex ipſis SS. Litteris, in quibus gratia ſanctificans & charitas (quæ juxta quosdam eſt ejus prima proprietas, juxta alios ab ea indiſtincta) effertur titulis, rem ab anima realiter diſtinctam ſignificantibus, ut ſeminis Dei, luminis, vitæ, unctionis, pignoris.

Prob. II. Quamvis Patrum raro hac de 77
re occurrat definitio, quoniam vix olim ea de re exorta eſt aliqua controverſia; nihilominus apud Cyrillum Alexand. lib. 4. comment. in Iſai. Orat. 2. ſat expreſſa reperitur teſtificatio in hiſce ejus verbis: *formatur autem in nobis Chriſtus, S. ſpiri-*

tu nobis Divinam quamdam formam per ſanctificationem & juſtitiam indente. Alii PP. rem ipſam explicarunt, licet qualitatis voce uſi non ſint.

78 Prob. III. Adverſam ſententiam haud leviter urget incuſatio, quod faveat hæreticis non ſolum Manichæis, & Priſcillianiſtis a concilio Braccarenſi I. Anno 551. Can. 5. damnatis, eoquod animas ex Deo natas per naturam ſeu ſubſtantiam ſanctas dixerint, ſed etiam Pelagianis, qui naturam animæ ad ſalutem procurandam ſufficere edixerunt. Si namque gratia ſanctificans, quæ ex SS. Litteris & Eccleſiæ ſenſu omnium donorum ſupernaturalium eſt maximum, per quam tanquam *formalem Divinæ naturæ participationem* regeneramur, & adoptamur in filios Dei, per ſolam naturam animæ poteſt haberi, ſeu in ipſius ſubſtantia conſtitui, non erit talis disproportio inter actum naturæ & objectum ſupernaturale, qualem Catholica Eccleſia objecit Pelagianis. Neoterici autem gratiam conſtituunt in ipſa ſubſtantia animæ a Deo modificata, ſine ulla re ſuperaddita. At animæ ſubſtantia eſt *naturalis*, & *modus* non diſtinguitur a ſubſtantia; ergo & modus eſt re ipſa naturalis, & ad ſummum terminative vel repræſentative ſupernaturalis, ut ſi diceres, ceram per ſui modificationem repræſentare myſterium paſſionis Chriſti. Nam cera manet

manet cera, & nihil myſterioſum continet intrinſece. Aſt Pelagiani non niſi proportionem inter actum naturalem, etſi ad objectum ſupernaturale directum, ex una, & gratiam ſanctificantem, ſeu ſalutem animæ, ex altera parte agnoſcentes, nihilominus ab Eccleſia damnati ſunt.

Prob. IV. Parvulorum quoque conditio 79
vehementer redarguit novam ſententiam. Certum eſt de fide, parvulos æque ac adultos a peccato originali purgari in Baptiſmate ac ſanctificari, tametſi pedibus manibuſque repugnent. Per quid ſanctificantur extrinſece, & in filios Dei aſſumuntur? Per ſituationem inquient N. N. & converſionem ad Deum. At quid eſt iſta converſio? dicunt eſſe modificationem. Sed de hac iterum & juſte quæritur, quid demum ipſa ſit? Si nihil eſt anima diſtinctum, ergo nihil intrinſece eſt perfectificatum. Erit ergo juſtificatio peccatoris mere *extrinſeca* animæ, quod fuit dogma Proteſtantium.

Prob. V. Divina voluntas efficax ſem- 80
per eſt effectiva ejus, quod ipſa vult; ergo ſi vult hominem fieri juſtum ac Filium Dei, confert ipſi effective juſtitiam, ac filiationem: ſed hanc effective non conferret, niſi inderet homini aliquam perfectionem, quam prius non habuit; ergo Deus efficaciter volens hominem fieri ju-

 ſtum

ſtum ac Filium Dei, effective ipſi indit aliquam perfectionem, quam prius non habuit, quam vocamus gratiam.

81 PROB. VI. Ex principio contradictionis. Implicat, quod peccator ſine dono ſupernaturali realiter ſibi addito fiat juſtus. Subjectum tranſiens ab uno extremo contradictionis ad alterum, debet aliquid realiter accipere (vel amittere) aut ſaltem tranſpoſitionem partium ſuſtinere: ſed peccator dum ex non juſto fit juſtus, intrinſece eſt ſubjectum tranſiens ab uno extremo contradictionis ad alterum. Ergo debet aliquid realiter accipere vel tranſpoſitionem partium admittere. Hæc in anima tanquam ente ſimplici locum non habet; ergo vel debet aliquid realiter accipere, vel nequit fieri ex non juſto juſtus. Hactenus confutator Theologus Philoſophiæ Neotericæ. P. II. Cap. VII. §. I. & II.

82 PROB. VII. Si gratia non eſt accidens, tunc erit vel I. ſubſtantia ipſius Dei, quod voluit OSIANDER n. 25. vel II. ſubſtantia diſtincta ab anima, eidem ſuperinfuſa, ſicut anima infunditur corpori. Vel III. ipſa animæ ſubſtantia certo modo affecta & modificata. Sed nullum horum eſt. Ergo eſt accidens. *min. prob.* quoad I. Gratia ſanctificans eſt cauſa *formalis* noſtræ juſtificationis; ſed Deus nequit agere

re

re rationem cauſæ formalis, ut fere receptum eſt inter Theologos. Item ſi ipſa Dei ſubſtantia animæ hominis uniretur, tunc illa non ſolum per participationem, ſed ſubſtantialiter eſſet juſta & quaſi Dea. *min. prob.* quoad II. ſi ſubſtantia illa eſſet diſtincta ab anima, tunc haud dubie eſſet ſpiritualis & per ſe ſubſiſtens, adeoque non eſſet inhærens, contra concilium Tridentinum; cum ſubſtantiæ alteri inhærere nequeat. *min. prob.* quoad III. gratia ſecundum trident. eſt aliquid animæ *inhærens*: ſed ſubſtantia animæ non poteſt ſibi ipſi inhærere. II. gratia in anima *diffunditur*; atqui anima non poteſt in ſe ipſam diffundi. III. Patres, dum loquuntur de gratia habituali, eam ſæpiſſimæ appellant animæ *Lucem*, *ſplendorem*, *ornatum*, *veſtem nuptialem*, *ſtolam primam*, *ſigillum*, *arrham*, *pignus*, *unctionem &c.* Atqui hæc omnia inſinuant, eam eſſe aliquid accidentale ab anima diſtinctum. IV. Si gratia non eſſet niſi ſubſtantialis animæ modificatio, ſive diſpoſitio mentis propendendi in Deum ut ultimum finem, cum intentione actiones noſtras ejus voluntati conformandi, ſequitur, gratiam ſanctificantem non exiſtere in parvulis Baptizatis, qui hujus diſpoſitionis & propoſiti defectu uſus rationis incapaces ſunt: aut alia erit gratia parvulorum, alia adultorum. Utrumque abſurdum; cum de facto certum ſit, parvulis in baptiſmo infundi

gratiam: de diverſitate autem gratiæ parvulorum, & adultorum, nullum exiſtat fundamentum.

83 Prob. VIII. Quod gratia ſit aliquid permanens ad inſtar habitus. I. Concilium Tridentinum docet, gratiam animæ *inhærere:* atqui hoc verbum denotat non ſolum accidens, ſed aliquid *permanens*, quod proprium eſt habitui. II. Gratia infunditur parvulis, qui non ſunt capaces alicujus motionis tranſeuntis. III. Qualitas permanenter inhærens & difficiliter mobilis, eſt habitus: ſed gratia eſt qualitas permanenter inhærens, quæ hominem ad opera pietatis idoneum reddit, & eſt difficulter mobilis; quia per ſolum peccatum mortale tanquam ſui privationem ex anima pellitur. Ergo eſt habitus.

IV. S. Thomas 1. 2. Quæſt. 110. a. 2. ☉ ita docet. „ Dictum eſt ſupra, quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo „ adjuvatur. Uno modo, in quantum „ anima hominis movetur a Deo ad aliquid cognoſcendum, vel volendum, „ vel agendum: & hoc modo ipſe gratuitus effectus in homine non eſt qualitas, ſed motus quidam animæ ... alio „ modo adjuvatur homo ex gratuita Dei „ voluntate, ſecundum quod aliquod habituale donum a Deo animæ infunditur. „ Et hoc ideo; quia non eſt conveniens,

„ quod

„ quod Deus minus provideat his, quos
„ diligit ad ſupernaturale bonum haben-
„ dum. Creaturis autem naturalibus ſic
„ providet, ut non ſolum moveat eas ad
„ actus naturales, ſed etiam largiatur eis
„ formas & virtutes quasdam, quæ ſunt
„ principia actuum: ut ſecundum ipſas 83
„ inclinentur ad hujusmodi motus|....
„ Multo igitur magis illis, quos movet
„ ad conſequendum bonum ſupernaturale
„ æternum, infundit aliquas formas ſeu
„ qualitates ſupernaturales, ſecundum quas
„ ſuaviter & prompte ab ipſis moventur
„ ad bonum æternum conſequendum. Et
„ ita donum gratiæ (habitualis) qualitas
„ quædam eſt. „ Hactenus an. 82. ratiocinatur aliquis in manuſcriptis.

Forte his omnibus congrua non deerunt 84
reſponſa. Quoniam vero Neotericorum cauſam defendendam hic non ſuſcipio, hinc illis relinquo curam, quibus id agere e re ſua eſſe videbitur. Id unum ſuperaddo, in Peripatetico ſyſtemate ſubjectum immediatum gratiæ non eſſe voluntatem, ſed ipſam animæ eſſentiam; hæc enim cum ſit primum principium eſſendi naturale, per gratiam ſanctificantem, quæ eſt participatio Divinæ naturæ, fieri debet primum principium eſſendi ſupernaturale: cæteri autem habitus fidei, ſpei, charitatis &c. recipiuntur in potentiis animæ ab eadem, ut volunt, realiter diſtinctis.

§. III.

§. III.

An ab Ecclesia hactenus definitum fuerit, gratiam sanctificantem esse accidens absolutum?

85 RESOLUTIO. Ecclesia nuspiam definivit, gratiam sanctificantem esse accidens absolutum.

PROB. I. Hæc quæstio nondum decisa erat sæculo XII. quo maxime invaluit scholastica Theologia; illo enim medio PETRUS LOMBARDUS Episcopus Parisiensis lib. I. Sent. Dist. 17. etsi contra communem Theologorum illius ævi sententiam, asseruit, charitatem, quam a gratia sanctificante haud distinguebat ipsam esse spiritus S. personam, qua Deus se ipsum & hominem, & homo Deum diligit, sive spiritum S. id in nobis efficere, ut nullo mediante habitu charitatis Deum diligamus. Postquam id multis S. AUGUSTINI testimoniis ex libris de Trinitate depromtis probare conatus fuerat, ad argumenta opposita dissolvenda ita pergit: „ supra dictum est, „ quod Spiritus S. est charitas Patris & „ Filii, qua se invicem diligunt, & nos; „ & ipse idem est charitas, quæ diffunditur in cordibus nostris ad diligendum „ Deum & proximum. Horum alterum „ omnes Catholici concedunt, scilicet quod „ Spiritus S. est charitas Patris & Filii.

Quod

„ Quod autem ipſe idem ſit charitas, qua „ diligimus Deum & proximum, a plerisque „ negatur. Dicunt enim : Si Spiritus S. „ charitas eſt Patris & Filii & noſtra: „ eadem ergo erit charitas, qua Deus di- „ ligit nos, & qua nos diligimus eum. „ Hoc autem ſanctorum auctoritates ne- „ gare videntur. Dicit enim Auguſtinus „ lib. de ſpirit. & lit. cap. 32. *Unde eſt* „ *dilectio, niſi unde & ipſa fides id eſt a ſpi-* „ *ritu Sancto? Non enim eſſet in nobis, niſi* „ *diffunderetur in cordibus per ſpiritum S.* „ *charitas autem Dei dicta eſt diffundi in cor-* „ *dibus noſtris, non qua ipſe nos diligit,* „ *ſed qua nos facit dilectores ſuos: ſicut ju-* „ *ſtitia Dei dicitur, qua nos juſti ejus mu-* „ *nere efficimur; & Domini ſalus, qua nos* „ *ſalvat, & fides Chriſti, qua nos fideles* „ *facit* . . . His reſpondemus : *charitas* „ *Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris* „ *non qua ipſe nos diligit, ſed qua nos* „ *diligere facit.* His verbis non dividitur „ nec diverſa oſtenditur charitas (ex par- „ te cauſæ efficientis) qua Deus nos di- „ ligit ab ea, qua nos diligimus; ſed po- „ tius cum ſit una eademque charitas, „ & dicatur ipſa Dei charitas, diverſis „ de cauſis & rationibus Dei charitas in „ ſcripturis appellari oſtenditur. Dicitur „ enim Dei charitas, vel quia Deus ea „ diligit nos, vel quia nos ea ſuos di- „ lectores facit. „ (Non in genere cauſæ formalis ſed efficientis, & animam ad amo- rem

rem immediate moventis) Deinde docet, charitatem, quæ in corde diffunditur, non esse illam, qua Deus nos diligit, sed eam qua nos diligimus. „ Alias quo„ que inducunt rationes ad idem osten„ dendum, scilicet quod charitas non sit „ Spiritus S. quia charitas affectio men„ tis est & motus animi, spiritus vero S. „ non est affectio animi, vel motus men„ tis: quia Spiritus S. immutabilis est & „ increatus. Non est ergo charitas. Quod „ autem charitas sit affectio animi & mo„ tus mentis, auctoritatibus confirmant. „ dicit enim Augustinus Lib. III. de doctri„ na Christiana Cap. 10. *charitatem voco* „ *motum animi ad fruendum Deo propter* „ *ipsum, & se, ac proximum propter Deum.* „ & lib. de morib. Ecclesiæ Cap. 11. tra„ ctans illud verbum Apostoli Rom. VIII. „ 8. Nec mors nec vita separabit nos a „ charitate Dei. *Charitas Dei*, inquit, „ *hic dicta est virtus, quæ animi nostri re*„ *ctissima affectio est, quæ conjungit nos Deo,* „ *qua eum diligimus.* Ecce his verbis ex„ primitur, quod charitas est affectio & „ motus animi: ac per hoc non videtur „ esse Spiritus Sanctus. „ His autem respondet. „ Hoc ita esse dictum, sicut di„ citur Psalm. 70. Deus est spes nostra, „ & patientia nostra; quia facit nos „ sperare & pati. Ista charitas dicitur „ esse motus sive affectio animi, quia „ per eam movetur & afficitur animus ad

„ dili-

„ diligendum Deum. Non autem mire-
„ ris, ſi charitas, cum ſit Spiritus San-
„ ctus dicatur motus mentis, cum etiam
„ in lib. Sapientiæ Cap. 8. dicatur de
„ ſpiritu Sapientiæ, quæ *attingit a fine uſ-*
„ *que ad finem*, quod eſt actus mobilis,
„ rectus, incoinquinatus: quod non ideo
„ dicitur, quod ſapientia ſit aliquid mo-
„ bile, vel actus aliquis, ſed quia ſui im-
„ mobilitate omnia attingit, non locali
„ motu, ſed ut ubique ſemper ſit, &
„ nuſquam incluſa teneatur. Sic ergo
„ charitas dicitur motus animi, non quod
„ ipſa (charitas Dei eſſentialis vel ratio-
„ nalis) ſit motus vel virtus animi; ſed
„ quia per eam (ut cauſam efficientem)
„ quaſi eſſet virtus, afficitur mens & mo-
„ vetur. Sed ſi charitas Spiritus Sanctus
„ eſt, quia operatur in ſingulis prout
„ vult, cum per eum mens hominis affi-
„ citur & movetur ad credendum vel ſpe-
„ randum, & hujusmodi, ſicut ad diligen-
„ gendum: Quare non ſic dicitur chari-
„ tas motus vel affectio mentis ad creden-
„ dum vel ſperandum, ſicut ad diligen-
„ dum. Ad quod ſane dici poteſt, quia
„ alios actus atque motus virtutum opera-
„ tur charitas, id eſt Spiritus S. *median-*
„ *tibus virtutibus*, quarum actus ſunt; ut-
„ pote actum fidei, id eſt credere, fide
„ media, & actum ſpei, id eſt ſperare,
„ media ſpe. Per fidem enim & ſpem
„ prædictos operatur actus. Dili-
„ gen-

„ gendi vero actum *per se tantum* sine „ alicujus virtutis medio operatur, id „ est, diligere. Aliter ergo hunc actum „ operatur, quam alios virtutum actus. „ Ideoque differenter de hoc & aliis lo- „ quitur Scriptura, quæ istum specialiter „ charitati tribuit. Est ergo charitas ve- „ re Spiritus Sanctus. „ Qui hominem im- „ mediate diligere facit. Porro istam Ma- gistri sententiam ab aliquo Concilio vel Ro- mano Pontifice damnatam, atque decisum fuisse, quod Spiritus sanctus non nisi mediante habitu charitatis, ut accidente absoluto, animam diligere faciat, nuspi- am me legere memini.

86 PROB. II. Ista quæstio non erat defini- ta Sæculi XIII. initio. Namque INNO- CENTIUS III. anno 1205. ab Arelatensi Ar- chi-Episcopo consultus, an parvuli, qui non possunt actu diligere, baptizari, & remissionem peccati originalis consequi va- leant, id incunctanter affirmavit cap. 3. *Majores* de Baptismo. Utrum vero cha- ritas & virtutes infundantur iis, id non definiit, propter controversas doctorum opiniones. „ Illud vero, ait, quod oppo- „ nentes inducunt, fidem aut charitatem, „ aliasque virtutes parvulis, utpote non „ consentientibus, non infundi, a ple- „ risque non conceditur absolute; cum „ propter hoc inter Theologos quæstio „ referatur, aliis asserentibus, per virtutem „ baptismi parvulis quidem culpam remitti, „ sed

„ ſed gratiam non conferri: nonnullis vero „ dicentibus, & dimitti peccatum, & vir- „ tutes infundi, habentibus illas quoad ha- „ bitum, non quoad uſum, donec perve- „ niant ad ætatem adultam. „ Quid de hac quæſtione in Concilio VIENNENSI actum fuerit, ſuo loco dicetur. Cum autem INNOCENTIUS III. non definiverit, charitatem parvulis infundi: multo minus definire voluit, eam eſſe habitum & accidens ab anima realiter diſtinctum.

PROB. III. S. BONAVENTURA, qui ſæcu- 87
lo XIII. floruit, & anno 1274. ſancte obiit, de natura gratiæ ſanctificantis diſſerens, affirmat, ſuo tempore aliquos docere, illam eſſe increatam, ipſam videlicet Spiritus S. perſonam, nullumque aliud donum creatum infundi, hancque opinionem fidei non adverſari aſſerit: etſi ipſe oppoſitam probabiliorem judicet. Sic autem ſcribit in I. Sent. Diſt. 26. quæſt. 2. „ Circa hanc quæſtio- „ nem, an gratia in gratificato ſit aliquid „ creatum, Deo hominem conformans, & „ aſſimilans, & Deo amicum reddens, ſa- „ pientes opinantur contrarium ſapientibus. „ In hac enim quæſtione aliquid eſt, quod „ fides determinat, aliquid, quod ratio in- „ veſtigat. Fides & ſcriptura determinat, „ quod absque dono gratiæ impoſſibile eſt „ placere Deo. Determinat etiam; quod „ absque dono increato; quod eſt Spiri- „ tus S. homo non poteſt fieri Deo acce-

„ ptus, nec aſſumi in adoptionem filiorum
„ Dei. Et ideo omnes recte intelligentes
„ concedunt, in juſtis eſſe gratiæ donum,
„ ita ut credant, etiam in eis eſſe donum
„ increatum, quod eſt Spiritus S. & hoc
„ a fide & a ſcriptura determinatur, & ideo
„ qui contrarium hujus ſentiret, eſſet hæ-
„ reticus. *Sed utrum præter donum increa-*
„ *tum, ſit in nobis donum creatum, per quod*
„ *ſimus Deo accepti, vel non, quia non ex-*
„ *preſſe determinatur ſcripturæ auctoritate,*
„ *inveſtigatur a Doctoribus rationum proba-*
„ *bilitate.* Et quoniam gratiæ eſt recreare,
„ animam informare, vivificare, illumina-
„ re, aſſimilare, unire, ſtabilire, acceptam
„ facere, ſurſum levare, quidam hos actus
„ comparaverunt ad gratiam, ſicut ad prin-
„ cipium effectivum. Et quoniam Deus
„ ſufficit ad hos actus vel effectus (im̃ediate)
„ producendos, dixerunt, quod donum
„ creatum (ab anima realiter diſtinctum)
„ ponere ad hos effectus producendos, eſt
„ ſuperfluum. Alii vero comparaverunt
„ effectus prædictos ad gratiam, ſicut ad
„ formam &c. „ Hoc igitur tempore id unum de fide erat, communicari juſto Spiritum S., qui per probabilem opinionem omnes effectus gratiæ ſanctificantis per ſemetipſum im̃ediate in anima operari poſſet.

88 Prob. IV. Sæculo XIV. recruduit controverſia, an parvulis in baptiſmo cum remiſſione peccatorum ſimul infundatur gratia &

& habitus virtutum. Ideoque in Concilio Viennensi anno 1311. celebrato, Clemens V. *communiorem* illius ætatis Theologorum ſententiam non quidem definivit, ſed ſolum ut *probabiliorem* elegit, nihil omnino determinando, an illa gratia eſſet accidens abſolutum, quod nec in quæſtionem venerat. Ita vero legitur clementina unica *de ſumma Trinitate & Fide Cath.* §. 2.
„ Verum quia quantum ad effectum baptiſ-
„ mi in parvulis reperiuntur Doctores qui-
„ dam Theologi opiniones contrarias ha-
„ buiſſe, quibusdam ex ipſis dicentibus, per
„ virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam
„ remitti, ſed gratiam non conferri; aliis
„ econtra aſſerentibus, quod & culpa eis-
„ dem in baptiſmo remittitur, & virtutes
„ ac informans gratia infunduntur. Nos opi-
„ nionem ſecundam, quæ dicit, tam parvu-
„ lis quam adultis conferri in baptiſmo in-
„ formantem gratiam & virtutem, tanquam
„ probabiliorem & dictis ſanctorum & do-
„ ctorum modernorum Theologiæ conſo-
„ nam & concordem, ſacro approbante con-
„ cilio duximus eligendam. „

Prob. V. Neque in Tridentino Concilio 89
hæc quæſtio definita fuit; illud enim unice congregatum erat ad dirimendas fidei adverſus Proteſtantes controverſias, non autem Catholicorum ſcholis inferenda præjudicia. Negabant Proteſtantes, hominem fieri juſtum per internam unicuique pro-

priam & inhærentem juſtitiam, quod ſynodus credendum ſtatuit. Quæ autem natura ſit gratiæ vel charitatis in corde diffuſæ, an habitus ſit ab anima realiter diſtinctus & realis qualitas, non determinavit, ſed ab ipſa *habitus* appellatione conſulto abſtinuit.

Ita teſtantur Theologi, qui ipſi concilio interfuerunt. Dominicus Soto in 3. Diſt.6. quæſt. I. a. 3. concl. 2. ait, hanc propoſitionem: *Baptizatis infundi gratiam*, duplicem habere ſenſum: „ Unum, quod fiunt Deo „ grati: Et hic ſemper fuit habitus tanquam „ Fides Catholica. Alter vero ſenſus eſt, „ quod illa gratia ſit qualitas ab homine di- „ ſtincta, divinitus concreata, qua fiat ho- „ mo gratus, ſicuti eſt habitus ſcientiæ & „ virtutis acquiſitæ. Et hic ſenſus non eſt „ tanquam de fide usque adeo antiquus: „ quoniam nec tam plane ex ſacra pagina „ colligitur. Nam ut Diſt. I. quæſt. 3. ex- „ plicavimus, nihil repugnat, hominem eſſe „ Deo gratum, absque aliqua ſibi inhæ- „ rente qualitate: ſicut ergo gratus ſum „ amico, eo ſolum, quod diligor ab illo. „ Item in Lib. 4. ſent. Diſt. I. quæſt. 3. a. 1. „ Qui ſane intelligere cupit, quomodo ſa- „ cramenta gratiam conferant, id primum „ conſtituat oportet, fingendo nullam ejus- „ modi qualitatem eſſe neceſſariam; nam „ profecto Patres nunquam de illa diſputa- „ re cogitarunt; imo res eſt non adeoque „ antiqua. Enimvero in Concilio Viennenſi

„ pro-

„ propter parvulos ante usum rationis sacro „ fonte intinctos sanxerunt, ut *probabilius*: „ & nuper in Tridentino, ut certius, quali„ tates illas, quæ sunt gratia & virtutes, „ baptizatis infundi. Sed hoc tantum a tem„ pore Apostolorum docti, docere post„ modum posteros contendebant, quod Sa„ cramenta N. L. in hoc sensu gratiam con„ ferrent, quod homines facerent Dei ami„ cos, sive per qualitatem id fieret, sive „ sine illa, ut inter homines accidit. „ Subdit post hæc verba TOURNELIUS commentarii loco. Tom. VI. de sacram. in genere. Quæst. 4. art. I. pag. 107. edit. Venet. Cum asserit SOTO, tanquam rem certam a Concilio Tridentino definitam fuisse, gratiam scilicet, & qualitates infundi, per qualitatem haud dubie intelligit tantum aliquid internum formale, distinctum ab actu fluente & transitorio, quod quidem recepto usu qualitas & habitus appellatur: quamquam ab hac appellatione abstinere consulto voluerit synodus, ne quæstionem de nomine dirimeret Revera enim non alia hic videtur esse quam de nomine controversia, an nempe gratia, quæ infantibus, dum baptizantur, infunditur, habitus & qualitas dicenda sit. Sic autem communi usu, a quo recedere non licet, appellatur; At fidei ille satisfacit, qui putat, gratiam illam esse aliquid internum, distinctum ab actu, quidquid tandem illud sit.

90 Idem teſtatur Melchior Canus de loc. Theol. lib. VII. cap. 2. ubi duo diſtinguit diſputationum genera: „ Unum earum re-
„ rum, quæ vere ad fidem ſpectant. Alte-
„ rum earum rerum, quæ citra jacturam
„ pietatis ignorari non ab imperitis modo,
„ verum etiam a doctis poſſunt, quod nec
„ fidei dogmata ſunt, nec ex illis derivan-
„ tur. An gratia, qua juſtificamur, quali-
„ tas quædam ſit, animo impreſſa, unde
„ qualitates aliæ conſequantur, hoc eſt,
„ virtutes quædam tum Theologicæ, tum
„ morales infuſæ, per quas animus divinas
„ & ſupernaturales habeat actiones, inter
„ ſcholaſticos diſputatur. . . . Hujusmodi
„ vero generis quæſtiones in poſteriorum
„ ego numerum redigo, neque ſacrarum lit-
„ terarum teſtimonia de his qualitatibus in-
„ telligenda eſſe exiſtimo: neque contro-
„ verſiam Catholicorum cum Pelagianis de
„ gratia ad credendum, ad ſperandum, ad
„ amandum, ad implendum legem, ad per-
„ ſeverandum, de qualitatibus potiſſimum
„ eſſe, ſed de Dei auxilio gratuito & ſpe-
„ ciali. „

91 Sed totam pene rei ſummam conficit Bartholomæus a Medina, & Tridentini Concilii mentem accurate exponit 1. 2. quæſt. 110. art. 2. „ Non eſt certum, in-
„ quit, ſecundum doctrinam fidei, quod
„ *gratia ſit habitus infuſus in anima inhærens*;
„ nam hoc non colligitur ex ſacris litteris,
„ neque

„ neque ex traditione Ecclesiastica, neque ex
„ definitionibus conciliorum.

„ Concilium Tridentinum, ut recte admonet Dominicus Soto Lib. II. de natura & gratia (quem Patribus Concilii inscripsit) cap. 18. consulto abstinuit a nomine *habitus*: sed tantum definivit, hominem justificari, *per justitiam diffusam in cordibus nostris, quæ illis inhæreat.*

„ Cæterum ad veram explicationem Concilii Tridentini est notandum primo loco, quod homo, sicut *quando peccat* actualiter, *convertit* voluntatem suam *inordinate* ad bonum commutabile, & *avertit* illam a bono incommutabili; ad eundem modum, *postquam pertransiit actus peccati*, illius animus *habitu* manet inordinatus; id est, *conversus* ad bonum commutabile, & aversus a bono incommutabili. Et ratione hujus inordinationis, & pravitatis, quæ *habitualiter* manet in anima, transeunte actu peccati, homo *denominatur peccator.*

„ Secundum advertendum est, quod *dupliciter* potest intelligi, quod Deus *remittat peccatum* homini. Uno modo, *mutando*, & *convertendo* animum hominis a pravitate, in qua erat, ad rectitudinem: quæ *rectitudo* dicitur *justitia interior*, & *inhærens*. Alio modo *nulla mutatione facta* in anima peccatoris; sed ipso *peccatore*

„ manente cum voluntate prava & inordi-
„ nata, ſicut erat antea; concedendo illi
„ veniam peccati & *non imputando* illam
„ gravitatem homini ad *pœnam*. Quæ *non*
„ *imputatio* dicitur *juſtitia extrinſeca*, *& non*
„ *inhærens*, *& imputativa.*

„ Illud etiam advertendum, quod illa *ju-*
„ *ſtitia interior & inhærens*, & illa *mutatio*
„ *voluntatis*, qua peccator ex pravo fit re-
„ ctus, poteſt fieri duobus modis. Uno
„ modo *per infuſionem alicujus qualitatis*
„ *permanentis in anima*: alio modo *per ſo-*
„ *lam actualem motionem divini auxilii*, quod
„ auxilium ſua efficacia *convertit* animum
„ hominis a pravitate ad rectitudinem.

„ His poſitis dicendum, quod Lutherani
„ affirmabant, *juſtificari* hominem, *non per*
„ *aliquam interiorem renovationem*, ſed *per*
„ *ſolam non imputationem exteriorem*. Contra
„ quos concilium definit, quod Deus,
„ quando juſtificat peccatores, non ſolum
„ concedit illis veniam peccati, & non im-
„ putat illorum delictum ad pœnam; ſed
„ etiam *interius convertit & renovat* illorum
„ animum, & ex pravo reddit illum rectum
„ atque bonum. Utrum vero Deus efficiat
„ hanc interiorem renovationem *per aliquam*
„ *qualitatem permanentem & infuſam*, vel
„ potius *per ſolam motionem actualem divini*
„ *auxilii* (inſpirantis utique dilectionis, aut
„ charitatis actum) Concilium Tridentinum

„ non

„ non definit. Non enim illa quæſtio per- „ tinebat ad id, quod erat propoſitum „ a Concilio.

„ Itaque ex definitione Concilii non col- „ ligitur, quod *gratia*, *& charitas ſint qua-* „ *litates infuſæ*. Sed tantum colligitur, eſſe „ dogma pertinens ad doctrinam fidei: „ quod *juſtitia*, qua homo *juſtificatur*, non „ eſt aliquid *extrinſecum*, ſed eſt *interior* „ *renovatio interioris hominis*. Quæ reno- „ vatio poteſt fieri vel *per ſolam actualem* „ *motionem divini auxilii* ſine aliqua qualita- „ te. Et hæc eſt vera interpretatio illius „ decreti. „ Hactenus Medina.

Sed & Cardinalis Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini Lib. VIII. cap. 4. teſtatur, mentem Concilii fuiſſe, „ ſtatuere „ ſpeciatim habitum infuſum juſtitiæ, & „ non generatim meram interiorem juſti- „ tiam; nihil definiendo, eane ſit actus, „ an habitus, ut placuit Gabrieli Vaſqueſio.„

Prob. VI. Sed neque poſt Concilium 92
Tridentinum aliqua hanc in rem emanavit deciſio, & in Italia, in ipſa adeo urbe Romana Neotericorum ſyſtema impune permittitur, ut conſtat ex opere theologico clariſſimi P. Berti, quem *ſummum Theologum* appellavit Eminent. p. m. Cardinalis Tamburinus, a Romanis Cenſoribus cum elogiis & teſtimonio ſanæ fidei approbato,

 qui

qui procul ab ejusmodi accidentibus in hac ipſa de gratiæ ſanctificantis natura pertractatione recedit: ut & Clar. D. AMORT; cujus Theologia pariter Romæ probata fuit.

93 OBJIC. I. Gratiam ſanctificantem eſſe donum ſupernaturale animæ ſuperadditum, eſt conſtans & concors Theologorum doctrina, nec ullus Catholicus (præter Petrum Joannis quoad parvulos tantum) id in dubium vocavit, priusquam Atomiſmus & Carteſianiſmus, quo hoſtis ſanam & ſacram doctrinam per cuniculos ſubruere tentare cæpit, novitatum avidos invaſit animos. Ergo ex loco theologico certum eſt, gratiam ſanctificantem eſſe rem adæquate ab anima diſtinctam, eamque perficientem. *Ant. prob.* Cl. HABERT. Tom. II. de Gratia Chriſti Cap. IV. §. 1. quæſt. 5. ita pronuntiat: „ præterquam quod illa modificatio „ (vox Neotericorum) valde improprie a Pa„ tribus Tridentinis *inhærens* diceretur, cum „ non ſit aliquid diſtinctum ab anima, ſa„ tis eſt ad noſtrum inſtitutum, quod illa „ Carteſianorum ſententia, negans formas „ accidentales a ſubſtantia realiter diſtinctas, „ non ſemel fuerit rejecta ut principiis fidei „ diſſentanea a celeberrimis Academiis Lo„ vanienſi anno 1662. Pariſienſi anno 1624. „ 71. 91. 93. 1705. „

RESP. Nego *ant.* An enim Theologi aut Catholici non erant, qui gratiam increatam nega-

negabant tempore S. BONAVENTURÆ ? n. 87. Utut ergo communior fuerit Theologorum opinio de ejusmodi accidentibus, nunquam fuit omnium : & Ecclesiæ quidem tunc *probabilior*, ſed non *revelata* videbatur. Porro utrum communior Theologorum SCHOLASTICORUM opinio locum theologicum conſtituat, tantiſper dubitare licebit. Ad prob. dicunt nonnulli, *fulmina Sorbonæ non tranſire ſequanam.* Utique & Ariſtotelis doctrina ſæpius a Sorbona proſcripta fuit, ut oſtendit LAUNOIUS lib. de varia Ariſtotelis fortuna in ſcholis Pariſienſibus. Eſt iſtud commune opinionum ſcholaſticarum fatum, ut temporum & animorum viciſſitudini ſubjaceant. Sola fides invariabilis eſt. Quamdiu ergo Vaticanum ſciens tacet, tamdiu & privatæ cenſuræ conquieſcere debent.

Iſtud autem mirum non nemini videri poſſet, quod ad Decreta Sorbonica hic provocetur; poſtquam auctor libelli, cui titulus: SECRETIO EORUM, *quæ ſunt de Fide Catholica, ab iis, quæ non ſunt de fide, in controverſiis plerisque hoc ſæculo motis, juxta Regulam fidei ab Eximio D. Franciſco* VERONIO *SS. Theol. D. antehac compilatam, ab omnibus Sorbon. D.D. in plena Congregatione Facultatis Theologicæ approbatam, nec non anno* 1645. *in Generali Conventu ab univerſo Clero Gallicano receptam, ac per illuſtres & doctiſſimos D.D. de Walenburch, Epiſcopos, multum laudatam, ex ipſo Concilio* Tri-

Tridentino & præfata regula compendiose excerpta. anno MDCXCIX. ſine loco impreſſionis confidenter ſcribit §. 2. pag. 30. „ Ex
„ adverſo 1. *Non eſt de fide*, Juſtitiam illam,
„ qua impii juſtificantur, eſſe qualita-
„ tem & habitum permanentem in anima.
„ 2. *Non eſt de fide* : An non æque be-
„ ne fieri poſſit juſtificatio (ſaltem ſi de
„ adultis loquamur) per affectum dilectio-
„ nis erga Deum, & contritionis de pec-
„ cato, ut omnia, quæ de juſtitia noſtra
„ in Scriptura & Conciliis atque a Patribus
„ dicuntur, recte conſtare poſſent, ſi ali-
„ quis diceret : juſtitiam inhærentem in
„ anima eſſe affectum dilectionis erga Deum
„ & contritionis de peccato. *Probatur* 1.
„ Quia de hac re nihil habet Tridentinum,
„ vel aliud Concilium univerſale. *Proba-*
„ *tur* 2. Quia inter Doctores Catholicos
„ controvertitur, teſtante *Vaſquez Diſput.*
„ 203. *cap.* 2. Quamvis ipſemet Vaſquez
„ (quod tamen & ipſum non eſt de fide)
„ *loc. cit. cap.* 6. dicat, parvulos & adultos,
„ qui virtute Sacramenti remiſſionem pecca-
„ ti conſequuntur, ſolo habitu & qualita-
„ te permanente juſtificari. „ Ita ille.

94 Objic. II. Hanc communem ſententiam ſapientiſſimi Salmanticenſes ſupponunt eſſe *de Fide*, dicentes, eſſe omnium Theologorum, prout idem teſtatur Joannes Syri Theol. dogm. Tom. II. Synt. 10. Vincent.

FERRE. Tom. III. in 1. 2. Tract. 9. quæst. 10. §. 3. Et certe id ipsum asserere non dubitavit Em. & Ven. BELLARMINUS lib. I. de grat. & lib. arbit. cap. 4.

RESP. I. Quid si aliquis negaret *suppositum*? Quæ Fide credenda sunt, non *supponi*, sed probari debent.

RESP. II. Est *probabiliter* de Fide, id est, illis auctoribus videtur esse de Fide. *Conc.* est *certo* de Fide. *nego.* Eo ipso quod auctores inter se litigent, ut vel ipse non diffitetur HABERTUS loc. cit. an hæc quæstio a Concilio Tridentino definita fuerit, non est certum, eam esse de Fide. Audivi aliquem hoc modo distinguere: est de Fide peripatetica. *Conc.* de Fide theologica & catholica. *negat.* hæc enim universalis omnium Catholicorum esse debet. Næ autem ille ignorantiam suam proderet, qui diceret, *Catholicos omnes*, etiam non nullius nominis, istud Peripateticorum dogma profiteri. Ita ille.

RESP. III. SYRIUM & FERREUM legere mihi non contigit. Crediderim autem, illos idem cum Eminent. BELLARMINO sentire. qui ita censet loc. cit. cap. 3. „ Concilium Tri-
„ dentinum Sess. 6. *Quamvis definire noluerit,*
„ sitne gratia gratum faciens habitus pro-
„ prie dictus, an qualitas alia: tamen esse
„ qualitatem permanentem per modum ha-

„ bitus,

„ bitus, atque animæ inhærentem, ſatis „ aperte definiiſſe *videtur* &c. „ Si definire noluit, quomodo definiit? Sed de mente concilii relegatur expoſitio Medinæ n. 91.

95 Objic. III. Suarez Tom. III. de gratia lib. 6. cap. 1. aſſeverat, in hoc puncto inter Catholicos non eſſe controverſiam, ſed eſſe certam ſententiam. Vasquez dicit eſſe certam de Fide. in 1. 2. diſp. 204. n. 54.

Respondet D. Amort. Suareſius ſic ratiocinatur ex principiis philoſophiæ nondum ſatis digeſtæ *conc.* conformiter ad principia philoſophiæ exactæ. *negat.* Utique enim ignorare non potuit, quod ante ipſum Soto & tot alii ſcripſerant. Videbatur ergo Suareſio certa ſententia: an autem ita omnibus videri debet? Id unum fide certum eſt, juſtitiam internam propriam & permanentem in juſtificatione nobis communicari. An hæc ſit habitus, & qualitas diſtincta? Eccleſia definire noluit, & privatus Theologus quanticunque nominis definire nequit.

Quod Vaſqueſium attinet, ille loco cit. nec verbulum habet, & tota diſputatione 204. inquirit, *an juſtitia inhærens ſuapte natura ſine favore & condonatione ei addita juſtificet animam, & a peccatis mortalibus emundet?* quod ad iſtam quæſtionem non pertinet. At vero diſput. 203. §. n. 53. ſcri-

ſcribit de Parvulis: „ Tametſi Eccleſia *ex-
„ preſſe non definiverit*, parvulorum juſti-
„ ficationem, & eorum, qui virtute Sa-
„ cramenti cum ſola attributione juſtifican-
„ tur, *fieri per habitum*, ſed in univerſim
„ *ſolum definierit*, omnem juſtificationem
„ fieri per inhærentem juſtitiam; ex ea ta-
„ men definitione aperta ratione colligitur,
„ parvulos & adultos, qui virtute Sacra-
„ menti remiſſionem peccatorum conſe-
„ quuntur, ſolo habitu & qualitate perma-
„ nente juſtificari, ac proinde hanc ſenten-
„ tiam ad Fidem Catholicam ita pertinere,
„ ut ſine errore negari *queat*. „ Ita habet
editio Antverpienſis anno 1620. Eadem
diſputatione cap. 2. n. 5. docet quidem,
communem & veram Theologorum ſenten-
tiam eſſe, juſtitiam inhærentem eſſe quali-
tatem permanentem in anima, quam com-
muniter habitum appellant: „ adhuc ta-
„ men, addit, in controverſia poſitum eſt,
„ utrum Eccleſia definierit, vel ad Fidem
„ Catholicam pertineat, juſtitiam, qua im-
„ pii juſtificantur, eſſe qualitatem & habi-
„ tum permanentem, an æque bene fieri
„ poſſit per affectum dilectionis erga Deum „
&c. & cap. 3. n. 19. ait: „ Probabilis ta-
„ men ſententia mihi viſa eſt, tam ſolo
„ actu contritionis, & dilectionis Dei ſu-
„ per omnia, qui ex auxilio ſupernaturali
„ procedat, quam habitu, ſine nova alia
„ gratia, & conditione hominem juſtificari
„ poſſe, ac proinde hactenus *ab Eccleſia*
„ *defi-*

„ *definitum* NON *esse*, *adultum extra Sacra-*
„ *mentum* solo habitu justificari, tametsi
„ communis & probabilior opinio sit, justi-
„ ficationem tam adulti quam parvuli sive
„ in Sacramento, sive extra, fieri per ha-
„ bitum permanentem. . . . Porro autem
„ hactenus ab Ecclesia definitum non esse
„ id, quod diximus, probare conabor tum
„ authoritate eorum scholasticorum, qui
„ id expresse docuerunt &c. „ & in sequentibus propositum suum exsequitur, ac totam disputationem his verbis concludit n. 127. „ Hactenus solum contendimus,
„ probabile esse, contritionem formatam
„ dilectione Dei super omnia ex se tantæ
„ virtutis esse, ut sine gratia habituali &
„ sine novo favore ei accedente justificare
„ nos posset. . . Secundum communem &
„ veram Scholasticorum sententiam conce-
„ dendus est habitus gratiæ justificantis in
„ omnibus, qui justificantur: *licet id de*
„ *fide hactenus non sit definitum.* „

96 Objic. IV. Ex Gallis vix inveniemus Theologum celebrem communi sententiæ adversum. Absolute eam esse de Fide certam agnoscit I. Jueninus Tom. V. Dissert. II. Quæst. I. II. Jacobus Serry. Prælect. theolog. Tom. II. prælect. 2. III. Novissime P. Gabriel Antoine Tom. II. Tract. de gratia cap. 6. art. 3. IV. Habert. loc. cit. V. Imo Tournelius Theol. Tom. III. part. I. de Sacramentis in gen. quæst. 4. ait, non solum

ſolum eam fide Catholica certam eſſe, ſed nec a Calvinianis penitus abnegari. Ita confutator Philoſ. Neotericæ.

Resp. I. Utique inter celebres Galliæ Theologos locum merebitur Morinus, qui lib. VIII. de Pœnit. Cap. 7. n. 12. fatetur, „ ſe in auctoribus Eccleſiaſticis (quos „ non perfunctorie evolvit) nihil de ejuſ„ modi ſubtilitatibus circa habitus infuſos „ reperiſſe. „

Resp. ad I. De Juenino id abſolute falſum eſt. Sic ſcribit ille loc. cit. Reſp. 3. „ fide certum eſſe, gratiam habitualem, „ proindeque charitatem, eſſe qualitatem „ ſpiritualem permanenter inhærentem ju„ ſtificato" . . . *ſed tamen de fide non eſt,* „ eum habitum eſſe ſimilem aliis, quos „ ſic nominamus. „ Quod etiam probat e Dominico Soto.

Resp. ad II. Serryus mihi nunc ad manum non eſt. Hoc unum ſcio, illum non adeo liberalem eſſe in condendis fidei articulis. Itaque non vane ſuſpicor, hoc unum ab illo de fide aſſeri, quod *juſtitia* ſit *interna* & *permanens*, quod nemo Catholicorum negat.

Resp. ad III. P. Antonius ibi contra Proteſtantes agit, & de fide eſſe dicit, quod in juſtificatione præter veram pec-

catorum remissionem, homo accipiat justitiam *inhærentem:* qua interius renovatur, & fit *intrinsece* justus. Quis Catholicorum id negat? Hanc autem inhærentem justitiam *accidens absolutum* esse, idque fide definitum ab eo asseri, immerito ei affingitur.

Resp. ad IV. ut n. 93.

Resp. ad V. Hæc est Tournelii conclusio. „ Fide catholica certum est, gratiam, „ quæ per sacramenta infunditur, esse „ aliquid internum, formale, inhærens, „ distinctum ab actu fluente ac transitorio, „ quod desinente sæculo XII. per habitualem qualitatem explicari cæpit; an „ autem vera sit habitualis qualitas Philosophorum sensu, *definitum ab Ecclesia* „ *non fuit.* „ Quam secundam partem etiam in subsequentibus probat, & in Prælect. de grat. Quæst. V. Art. 2. repetit. Calviniani, quorum Tournelius meminit, non loquuntur de qualitate absoluta, sed de interna justitia, quam certe pro accidente non agnoscunt, sed pro actibus animæ eam immutantibus, renovantibus, & justificationem subsequentibus.

97 Ex istis, quæ hoc §. pertractavi, Lector facile intelliget, me non quæstionem *juris*, sed meri *facti* attingere voluisse, videlicet, an hactenus ab Ecclesia definitum fuerit, gratiam esse accidens absolutum

lutum? quod oppoſita argumenta non evincunt. De veritate ipſius opinionis ſeu Peripateticorum, ſeu Neotericorum nulla me ſollicitudo tenet. Quia vero §. II. argumenta Peripateticorum in medium attuli: ideo & Recentiorum hypotheſin ſubjicio, nullum alterutri parti calculum additurus.

§. IV.

De natura gratiæ ſanctificantis ſecundum Neotericorum hypotheſin.

Haud equidem illi omnes in explicanda 98
gratiæ natura concordant, etſi eam accidens abſolutum ab anima realiter diſtinctum non eſſe, conveniant. Clariſſimus Berti Lib. XIX. Cap. I. in fine eam ita deſcribit: „ Habitualis gratia eſt charitas per ſpiritum Sanctum inhabitantem diffuſa in cordibus eorum, qui juſtificantur, atque ipſis inhærens, per quam ſignati ſpiritu promiſſionis ſancto efficiuntur Divinæ naturæ conſortes. „ Et ſecundum hanc deſcriptionem ita ratiocinantur. Ut gratia habitualis, qua formaliter juſtificamur, non ſit accidens abſolutum, ſat eſſe videtur, ſi congrue explicari poſſit I. Quod unusquisque recipiat juſtitiam *internam* propriam, non

alienam imputatam. II. Quod illa in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum inhabitantem *diffundatur*. III. Quod ſit *permanens* per modum *habitus*, adeoque *inhærens*. IV. Quod per illam in filios Dei *adoptemur*, & Divinæ efficiamur conſortes naturæ. V. Quod eadem gratia quoad habitum etiam *parvulis* communicetur & inſit. Qui enim hæc omnia profitentur, & ex ſuo ſyſtemate non contorte fluere oſtendunt, illi non a Priſcillianiſtis ſolum; ſed a Proteſtantibus quoque toto cœlo diſtant: atqui hæc omnia congrue & cum veritate explicari poſſe exiſtimant. ergo.

99 Prob. quoad I. Quod unuſquiſque recipiat juſtitiam *internam*, propriam, non alienam imputatam. Et iſtud quidem ceu dogma fidei definitum omnes profitentur. Nam juſtificatio *paſſiva*, *cauſalis*, cum *remota*, tum *proxima* n. 9. conſiſtit in actibus præviis fidei, attritionis, ſpei, charitatis, quos Deus per gratiam actualem in- & cum homine operatur: cumque iſtos actus vitales anima ipſa eliciat, & e nolente volens, e non diligente diligens, e prius a Deo averſa actu ad Deum fiat converſa; in hac ipſa ſui *immutatione*, ſeu modificatione, actum juſtitiæ exercet, reddens Deo rationem ultimi finis, quam antea per peccatum ſaltem affectu abſtulerat, ſicque *propriam* habet juſtitiam,

inter-

internam, *actualem*, quæ Deum movet ad juſtificationem *activam* actualem, ſeu remiſſionem peccati, ad actualem Dei ad animam converſionem, & inchoandam amicitiam. Cumque animæ nihil intimius eſſe poſſit, quam propriæ ejus operationes: ſequitur I. juſtitiam illam paſſivam vere *propriam* & *internam* eſſe. Quia vero eam non ex natura habemus, ſequitur II. quod eam gratuito Dei munere *recipiamus*. Quid in hac explicatione, inquiunt, Catholico repugnat dogmati? cum nec Thomiſtæ Catholiciſſimi deſint, qui gratiam actualem negant in entitate creata, fluida, conſiſtere, ſed eſſe ipſummet Deum, qui animæ pios illos affectus & ſanctam dilectionem inſpirat, ſeu hominem actu diligere facit.

Prob. Quoad II. Juſtitiam internam ac 100
propriam, ſeu charitatem, a gratia haud diſtinctam, in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum inhabitantem diffundi. Atque hic primo ſupponunt cum Bertio, craſſo illos detineri errore, qui putant, juſtis non ipſam Spiritus S. perſonam, ſed ſolum quoddam ejusdem cariſma, ſeu, donum creatum communicari; id quod hæreticum appellat S. Bonaventura n. 87. allegatus. Igitur quemadmodum gratia actualis dupliciter ſpectari poteſt I. ex parte Dei, ut cauſæ efficientis, qui animam intus immediate illuſtrat & delectat,

ſed tranſeunter: II. ex parte animæ ad actum dilectionis ſuaviter excitatæ & diligentis; ita & gratia habitualis, ſeu charitas, conſiderari debet I. ex parte Dei, qui nobis mittendo communicat ipſam Spiritus S. perſonam, qui eſt charitas notionalis, & qui in nobis habitat. II. Charitatem, non *quæ* ipſe eſt, ſed qua nos ſtabiliter Deum diligere & in eum propendere facit, in anima noſtra diffundit: quo ſane ſenſu dixit Paulus Rom. V. 5. *Charitas Dei*, qua Deum nos diligimus, *diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ubi charitas, ſeu juſtificatio noſtra, tanquam effectus a cauſa, a Spiritu S. qui eam diffundit, manifeſte diſtinguitur. Itaque duplex in juſto eſt charitas: una *increata*, ipſe Spiritus Sanctus, qui datus eſt nobis, & *creata*, noſtra videlicet charitas, quam Spiritus ſanctus efficit, dum animam, ejusque vires & affectus ſtabiliter in Deum ut ultimum finem ſuum propendere, & paratam facit ſe Divinæ voluntati in omnibus conformandi.

101 Porro autem ipſam Spiritus S. perſonam nobis communicari, & per eum *immediate* noſtram ſanctificationem perfici, multis tum SS. litterarum, tum SS. PP. teſtimoniis demonſtrat Petavius Theolog. dogmatum Tom. II. Lib. 8. Cap. 4. & ſeqq. Sic Cyrillus Alexandrinus lib. 34. theſauri.

ri. „ Quid opus eſt iſtis ambagibus & ver-
„ ſutis commentis ? ipſam enim ſanctifi-
„ candi virtutem, quæ ex patre naturali-
„ ter procedit, Spiritum ſanctum eſſe di-
„ cimus, & ſuperfluum videtur, *per me-
„ dium aliquod* (quale foret accidens abſo-
„ lutum) creaturas ſanctificari. Nam ipſe
„ Deus pro miſericordia ſua ad minima
„ uſque pervenit, & ſanctificat per pro-
„ prium Spiritum, omnia enim ſunt ejus
„ opera. „ Negat ibidem, per creaturam
nobis ſanctificationem tribui, & pergit:
„ Spiritus ſanctus *per ſe ipſum* in nobis
„ operatur, vere ſanctificans & uniens
„ nos ſibimet ipſi, dum nos ſecum co-
„ pulat, ac Divinæ naturæ participes red-
„ dens. „ Idem CYRILLUS lib. 10. Joan.
inde probat Spiritum ſanctum non eſſe
creaturam, ſed Deum, quia per eum,
non per creaturam ſanctificamur. „ Nam
„ ſi fieri poteſt, ait, ut per ullam omni-
„ no creatam ſubſtantiam Divinæ & ineffa-
„ bilis naturæ ſimus participes, quid jam
„ prohibere poterit, quin Deus & Pater,
„ amoto Spiritu, per aliam quampiam,
„ quamcunque voluerit, creaturam in no-
„ bis reſideat, noſque ſanctificet ? „ Haud
aliter de perſonali Spiritus Sanctus in ani-
ma juſti præſentia diſſerit S. AUGUSTINUS
Serm. 185. te temp. ſeu Serm. I. de Fe-
ria II. Pentecoſt. „ Spiritus S. in hac die
„ ad præparata ſibi Apoſtolorum templa,
„ velut imber ſanctificationis illapſus eſt,

 non

„ non jam visitator subitus, sed perpetuus consolator, & cohabitator æternus. Nam sicut de semetipso Apostolis suis dixerat: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: ita de spiritu *S. Paracletum*, inquit, *dabit vobis Pater*, *qui vobiscum sit in æternum.* Affuit ergo in hac die fidelibus suis, non jam per gratiam visitationis & operationis, *sed per præsentiam Majestatis*, atque in vasa non jam odor balsami, sed ipsa *substantia sacri* defluxit unguenti. „ Denique Patres alii justos novi testamenti ab illis antiqui in hoc præcipue distinctos & excellentiores arbitrantur, quod Spiritus sanctus in veteres illos solum penes effectum & dona, in nos autem per propriam personam mittatur, & inhabitet. Sed de his plura dixi *de Deo Trino*, ubi de Divinarum personarum missione.

102 Præterea autem Neoterici illi capere nequeunt, quomodo charitas, si sit accidens spirituale, in anima pariter spirituali, dici possit *diffundi*? Physice enim diffundi, seu dividi, in partes extendi, dilatari, simplex qualitas nequit, nec anima simplex, partibus destituta, ejusmodi diffusionis physicæ capax est. Itaque moraliter id intelligi debet, quatenus Spiritus sanctus inhabitans animam quoad omnes ejus motus, affectus & vires in Dei

dilectio-

dilectionem ejuſque ſervanda mandata, gloriam procurandam, propendere facit, &, ut ita dicam, in intimos ejus receſſus ſe inſinuat: quod utique veroſimili magis ratione per ipſam animæ modificationem, quam per accidens abſolutum explicatur.

Prob. quoad III. Juſtitiam illam *inter-* 103
nam ſeu charitatem *diffuſam*, eſſe quid permanens per modum habitus, adeoque *inhærentem*. Juſtificatio illa *paſſiva*, *actualis*, *formalis*, ſeu illa actualis mentis noſtræ ad Deum ultimum finem per actum perfectæ charitatis converſio, quam gratia actualis in- & cum homine efficit, & quæ Deum *cauſaliter proxime* movet, ut ejus intuitu propter meritum Chriſti peccata remittat, ſeu active juſtificet n. 5. ſimul involvit propoſitum, & ſtabilem mentis inclinationem, Deum ſemper rebus omnibus præferendi, ſuper omnia diligendi, mandata ejus conſtanter obſervandi, voluntati ejus ſe conformem exhibendi, ejuſque gloriam pro viribus promovendi: quæ mentis *habitudo*, cum ex propoſito ſtabilis ſit ac firma, utique *permanens* per modum *habitus*, & animæ *inhærens* dici poteſt. Ejuſmodi enim juſtificatus eodem cum Paulo Rom. VIII. 35. affectu dicit: *Quis ergo ſeparabit nos a charitate Chriſti?* (qua Chriſtum diligo) *tribulatio? an anguſtia?* . . . *Certus ſum* (firmiſſimum propoſitum habeo) *quia ne-*

que mors, neque vita . . . separabit nos a charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro. Itaque justificatio *passiva habitualis* est aliquid permanens, & cum sit ipsa animæ in Deum stabilis propensio, eidem maxime interna, & intrinseca & intime inhærens est. Similiter autem Spiritus Sanctus qui in justificatione *activa* communicatur, in anima justi velut proprio in templo habitat, eam per charitatem diffusam ita in Deum propensam facit, tamdiu in ea permanet, eique ineffabili quadam unione intime adhæret, donec illa libere a Deo se avertat, & ad bonum creatum peccando convertat. Ideo de hoc Spiritu fidelibus promisso dixit CHRISTUS Joan. XIV. 17. *Quia apud vos manebit, & in vobis erit.*

104 De hac Spiritus S. in anima justi stabili inhabitatione ita loquitur CYRILLUS Alexandrinus. Lib. 9. in Joan. „ Quomodo Divinæ na-„ turæ participes secundum dicta sancto-„ rum erunt ii, quibus communicatur Spi-„ ritus, si hic conditis rebus annumeratur „ (si creatura est, cujusmodi foret gra-„ tia illa creata) & non potius ex ipsa „ nobis natura Divina *procedit*, non ita, „ ut per ipsam in nos tanquam alienus „ transeat, sed, ut sic loquar, ut ve-„ lut qualitas quædam Divinitatis in no-„ bis insit, & in sanctis habitet, ac per-„ petuo maneat, si mentis suæ oculum „ omni probitate purgantes, & virtutum

omni-

„ omnium indefeſſo ſtudio gratiam ſibi „ ipſi conſervent. „ Itaque Neoterici ſatis apposite explicare videntur, quomodo charitas, qua Deum habitu diligimus, aliquid *permanens* & *inhærens* ſit per modum habitus; quia eſt propria animæ *habitudo* a Spiritu ſancto in eadem effecta, qui & ipſe tanquam cauſa ejus efficiens permanenter in anima habitat, & Deus ipſe per ſuam benevolentiam in hominis amicitiam & perpetuam ejus felicitatem habitualiter propendet, quia diligentes ſe diligit, pro modo quo diligitur.

Prob. quoad IV. Quod per iſtam cha- 105
ritatem, ſubjective noſtram, effective autem per Spiritum S. in anima noſtra diffuſam, in Filios Dei adoptemur, & Divinæ efficiamur conſortes naturæ. Filii Dei *naturales* fieri non poſſumus; hic enim unicus eſt, Verbum Patris conſubſtantiale: ergo non niſi per *adoptionem*, qua Deus perſonam extraneam in locum filii & ad jus hæreditatis aſſumit, & per affectum, quo adoptanti nos pro viribus conformes & ſimiles efficere adlaboramus. Id autem charitas efficit, per quam unum cum Deo moraliter ſumus, ut loquitur Paulus I. Corint. VI. 7. *Qui adhæret Deo* (per charitatem) *unus ſpiritus eſt.* Et I. Joan. III. 1. *Videte qualem charitatem* (notionalem, h. e. Spiritum ſanctum, qui charitatem formalem, & habitua-

bitualem in nobis efficit) *dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & ſimus.* Iſtam vero in Filium Dei adoptionem Spiritui S. in nobis habitanti, & in nobis, ac nobiſcum operanti S. Paulus attribuit Rom. VIII. 14. ſeqq. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei. Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore.* (ut in L. V.) *ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba* (Pater) *Ipſe enim Spiritus* (in nobis habitans) *teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei. Si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Hanc autem filiationem in conformitate cum unigenito conſiſtere, idem PAULUS docet loc. cit. *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Atqui non niſi per charitatem, per quam in Deo manemus & ipſe in nobis, Filio Dei conformes efficimur. Ergo charitas illa per Spiritum S. diffuſa, quæ non eſt accidens abſolutum, ſed ipſa noſtræ animæ habitudo, Filios Dei adoptivos efficit; quia facit, ut nihil, niſi quæ Deo placent, & ſic idem cum Deo velimus, & unus cum eo Spiritus fiamus, atque moraliter Divinam naturam participemus. Ut enim duo amici propter voluntatum conformitatem & amorem reciprocum unum quodammodo inter ſe exiſtunt, ſecundum proverbium: *Amicus alter*

ter ego : & : *Ut duo non duo ſint*, *hoc facit unus amor*; ita & juſtus per charitatem, qua Divinæ voluntati per omnia ſe conformem exhibere ſtudet, unus cum Deo *moraliter* ſpiritus fit.

Hoc ipſum Chriſtus ſignificare voluit, quando enim Ei ad turbas loquenti nuntiatum fuit, Matrem ejus & fratres foris ſtare, volentes loqui ei, reſpondit Math. XII. 48. *Quæ eſt Mater mea*, *& qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos*, *dixit*: *Ecce mater mea*: *& fratres mei. Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei*, *qui in cœlis eſt*, *ipſe meus frater*, *& ſoror*, *& Mater eſt.* Quod ſi igitur per noſtræ voluntatis cum Divina conformitatem, quam operatur charitas, Chriſti efficimur fratres, nempe moraliter : ergo per eandem efficimur Filii Dei, non phyſice, ſed moraliter, imitatione naturam Divinam participantes.

Hac ratione per Spiritum S. non per 106
aliquam creaturam nos quodammodo deificari Patres aſſerunt. Basilius Lib. III. contra Eunomium, blaſphemantem, Spiritum S. *filii opus eſſe*, Divinitatis, creandique facultatis expers, ita hunc in modum eundem coarguit. „ Qui hoc dicit, „ nec Divinitatem habitare in nobis cre„ didiſſe videtur, cum de Deo Joannes dicat: „ *ex hoc cognoſcimus*, *quoniam in nobis* „ *eſt*, *ex Spiritu*, *quem dedit nobis.* Et

Apo-

„ Apostolus: *Nescitis, quod templum Dei*
„ *estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.*
„ Et rursus: *In quo omnis ædificatio con-*
„ *structa crescit in templum sanctum in Domi-*
„ *no: in quo & vos ædificamini in habita-*
„ *culum Dei in Spiritu sancto.* Si ergo
„ in nobis Deus habitare dicitur per Spi-
„ ritum: quomodo manifesta non est im-
„ pietas, expertem Deitatis ipsum Spiri-
„ tum sanctum dicere? Et si Deos no-
„ minamus eos, qui virtute perfecti sunt,
„ perfectio vero per spiritum obtinetur,
„ quomodo, qui Deos alios facit, Di-
„ vinitate ipse caret? „ supponit hoc loco
S. Basilius, non per creaturam, qualis
est gratia in sensu Peripateticorum, sed
immediate per Deum, quem Spiritum san-
ctum esse evincit, nos in Filios Dei a-
doptari. Ita quoque Cyrillus Alexan-
drinus dialog. 7. „ Interrogabo igitur, De-
„ os illos posse facere, qui non sunt dii,
„ nunquid naturæ conditæ ac factæ con-
„ venit? Equidem non dixerim . . . Sed
„ nunquam intelligatur Deifica creatura
„ (qualis foret illud accidens) Soli Deo
„ tribuenda hæc res (immediate, non per
„ creaturam) qui suæ proprietatis parti-
„ cipationem sanctorum animabus per Spi-
„ ritum immittit; per quem & conformes
„ facti filio secundum naturam, Dii sicut
„ ille, & filii vocati sumus Dei. Quod
„ enim sumus Filii Dei, *emisit Deus Spi-*
„ *ritum Filii sui in corda nostra clamantem*

„ *Abba*

„ *Abba Pater* Gal. IV. 6. Itaque ſiquidem „ poſſe *Deificare per ſe ipſum, majus &* „ *præſtantius eſt, quam ut creatura hoc poſ-* „ *ſit;* quis annumeraret Spiritum creaturis „ niſi ſit corruptæ penitus mentis, aut „ quomodo diceretur creatura poſſe effi- „ cere Deos? „ Subdit poſt hæc verba PETAVIUS loc. cit. cap. V. n, 9. Hoc vero loco clariſſime Cyrillus oſtendit, formam, ipſam, ut ita dixerim, qua Filii Dei ſumus, ipſam que Spiritus Sancti ſubſtantiam. Nam per ſe ipſum id facere Spiritum aſſerit; & immitti in animos noſtros Spiritum; & hoc creaturam non poſſe præſtare; ac demum eo ipſo, quodSpiritus in nobis ineſt, Deum in nobis habitare.

Paullo adhuc luculentius diſſerit S. BA- 107
SILIUS M. lib. de Spiritu S. cap. 26. qui Spiritum S. per modum FORMÆ perficientis, & *habitus* nobis ineſſe dicit. „ Ut „ *forma* eſt in materia & virtute in eo, „ quod illo afficitur. „ Quod ita declarat: „ Itaque quatenus Spiritus Sanctus *vim* habet *perficiendi* ratione præditas creaturas. „ earum ſummam perfectionem abſolvens, „ *formæ* rationem obtinet. Qui enim ſe- „ cundum carnem non amplius vixit, ſed „ Spiritu Dei ducitur, & filius Dei no- „ minatur & conformis fit imagini Filii „ Dei, Spiritualis appellatur. Item ut vi- „ dendi facultas ineſt in ſano oculo, ſic „ operatio Spiritualis in anima purgata... „ Et ut ars in eo, qui illam nactus eſt; „ ita

„ ita Spiritus gratia in illo, qui eam ex-
„ cepit, ſemper quidem præſens, non ta-
„ men continuo operans. Quandoquidem
„ & ars poteſtate quidem eſt in artifice;
„ actu vero tum, cum ſecundum ipſam
„ operatur. Sic etiam Spiritus ſemper
„ quidem adeſt iis, qui digni ſunt; ſed
„ pro eo, ac neceſſe eſt, operatur. „ Et hac quidem ratione noſtram in Dei Filios adoptionem & naturæ Divinæ conſortium, immediate per Spiritum S. inhabitantem fieri, facilius explicari exiſtimant Neoterici, quam per aliquam qualitatem inanimem & creatam, quod adducti Patres diſerte inficiantur.

108 Prob. quoad V. Eandem gratiam *quoad habitum*, ipſam videlicet Spiritus S. perſonam *parvulis* communicari, & ineſſe. Parvulos regenerationis lavacro non ab originali ſolum peccato mundari, ſed & ſanctificari, in Filios Dei adoptari, & regni cæleſtis hæredes conſtitui, nemo Catholicorum negat, & Pelagiani quoque fatebantur, ut oſtendi Tom. VI. n. 24. ſeq. atqui iſtos omnes effectus operatur Spiritus Sanctus, qui ipſis in baptiſmo communicatur, quod conſtat ex illa Pauli interrogatione Actor. XIX. 2. *ſi Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? At illi dixerunt: ſed neque, ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati eſtis?* Quamvis autem parvuli actualis opera-

operationis, defectu usus rationis, sint incapaces, habitualis tamen mentis propensio locum in iis habet. Certe enim per peccatum originale habitu erant a Deo aversi: ergo per inhabitantem Spiritum sanctum habitualiter fieri possunt ad Deum conversi. In hac autem habituali conversione seu mentis propensione, quam Spiritus sanctus in parvulis non consentientibus operatur, consistit justificatio *passiva habitualis*: actualis enim passiva in illis supponi non potest. Atque huc apprime servit BASILIUS num. præced. citatus, dum dicit: Spiritus in justis semper quidem adest, sed non semper actu operatur. Nec abludit S. AUGUSTINUS Lib. I. de peccat. merit. & remiss. cap. 9. de adultorum, parvulorumque justificatione loquens. „ Sed præter hanc imitationem „ gratiæ ejus, illuminationem, justifica- „ tionemque nostram, etiam intrinsecus „ operatur illo opere, de quo idem prædi- „ cator ejus dicit: *Neque qui plantat, est* „ *aliquid, neque qui rigat, sed qui incremen-* „ *tum dat Deus.* Hæc enim gratia baptiza- „ tos quoque parvulos suo inserit corpori, „ qui certe imitari aliquem nondum valent. „ Sicut ergo ille, in quo omnes vivifican- „ tur, præterquam quod se ad justitiam „ exemplum imitantibus præbuit, dat etiam „ sui spiritus occultissimam gratiam, quam „ *latenter infundit & parvulis* &c. „ Idem AUGUSTINUS Epist. LVII. ad Dardanum pag. mihi 286. „ Dicimus ergo, in baptiza-

„ tis parvulis, quamvis id nesciant, habi-
„ tare Spiritum sanctum. Sic enim eum
„ nesciunt, quamvis sit in eis; quemadmo-
„ dum nesciunt & mentem suam, cujus in
„ eis ratio, qua uti nondum possunt, ve-
„ lut quædam scintilla sopita est, excitan-
„ da ætatis accessu. . . . Habitare autem
„ & in talibus dicitur, quia in eis occulte
„ agit, ut sint templum ejus &c. „

Cum igitur Neoterici doceant, justificationem passivam habitualem non consistere in actuali operatione, sed habituali mentis propensione, seu charitate per Spiritum S. diffusa: Hinc patet, quomodo in eorum systemate etiam justificans gratia in parvulis facillime concipiatur.

109 Hactenus VeterumRecentiorumq; de gratiæ sanctificantis natura hypotheses, quantum quidem eas perspectas habeo, indifferenti, ut arbitror, calamo delineavi. Si utrorumque mentem haud satis fui assecutus, nolim alterutri parti ullum per me præjudicium adcrescat. Scient Promachi, quid addere, quid demere, quid perpolire velint, aut debeant. Peripatetici forte minus habebunt, quod conquerantur; quoniam argumenta fideliter exhibui, quæ insignis eorum Athleta eduxit in aciem. Si Neotericorm sensa non satis divinavi: propriæ id instabilitati, & variationi in ordi- nanda

nanda hypotheſi tribuent, donec in Synedrio quodam congregati ſuos Canones claris verbis expreſſerint.

Quæret forte tamen curioſus Lector, quæ demum mihi ſedeat ſententia menti? 110

Respondeo. Neutrarum, credo, partium multum intereſt, ſeu aſſentatorem, ſeu adverſarium, ſeu tergiverſatorem me habeat. Ne autem jejuna hac reſponſione Lectorem dimittam, iſtud me ſentire profiteor, utramque opinionem ſalva fide & pace ſuſtineri poſſe; atque id unum in votis habeo, ut Eccleſia hanc controverſiam ſuo aliquando judicio dirimere velit: quo vel Neoterici, ſi contra eos ſententiam pronuntiari contingat, intellectum ſuum in obſequium Fidei captivare addiſcant: aut Peripatetici a præproperis cenſuris abſtinere cogantur, ſi Neoterici forte ab inſtantia abſolvantur. Interea per me eligat quisque, quod ſibi melius viſum fuerit.

CAPUT III.

De Proprietatibus Justificationis.

111 QUinam effectus & proprietates justificationis ex mente nostræ Ecclesiæ sint, cum ex hactenus dictis colligitur, tum ex dicendis patebit. Alias autem proprietates affinxerunt Protestantes, Calviniani præsertim & quidem I. Quod illa hominem justificatum certum reddat, remissa sibi esse peccata, ut etiam firmiter credere possit, & debeat, justitiam Christi fide apprehensam ad se pertinere. II. Quod illam justitiam semel acceptam, seu imputatam, non possit amplius amittere. III. Quod eadem in omnibus sit æqualis; eoquod propriam nemo habeat, sed illam Christi, quæ semper eadem est. Istis erroribus opponuntur sequentes §§. I. de incertitudine adeptæ justificationis. II. de ejus amissibilitate. III. de ejus inæqualitate.

§. I.

De Incertitudine Justificationis.

112 CErtitudo, quo nomine intelligitur vera prædicati cum subjecto connexio, dupliciter considerari potest, vel ex parte objecti

jecti cogniti, vel ex parte cognoſcentis & affirmantis: Et hæc eſt illa firma perſuaſio & convictio animi, rem ita ſe habere, ut credens concipit, & enuntiat. Si in hac enuntiatione non fallitur, tunc ſimul adeſt certitudo objecti. Itaque in ordine ad quæſtionem, & loquendo de certitudine *ſubjectiva*, triplex ſtatui poteſt certitudo de adepta gratia juſtificante. I. *Metaphyſica* & omni ex parte infallibilis, ex revelatione cuidam ſingulariter a Deo facta de ſtatu gratiæ, quomodo eam habuit Mulier peccatrix, poſtquam a CHRISTO audivit: *Remittuntur tibi peccata.* II. Certitudo *phyſica*, quæ tamen huc non pertinet; cum gratia non pendeat a natura, nec neceſſariam habeat cum homine connexionem. III. *Moralis*, in qua difficillimum eſt aliquem falli. Sed hæc iterum ſuos gradus habet. I. Alia, authoritati ſeu teſtimonio hominum innixa, tanta eſt aliquando, ut etiamſi abſolute fallere poſſit, id tamen moraliter ſit impoſſibile, omnemque de oppoſito excludat formidinem. e. g. exiſtere Lutetias Pariſiorum, etſi eam urbem nunquam viderim, adeo tamen certum eſt, ut non niſi imprudenter dubitarem; eoquod moraliter impoſſibile ſit, tot alios, qui de viſu teſtantur, aut deceptos fuiſſe, aut decipere voluiſſe: cum ne Deus quidem univerſalem adeo ſenſuum illuſionem, aut hominum perfidiam, quæ humanam deſtrueret ſocietatem, prudenter permittere

 poſſit.

possit. Et iste est summus moralis certitudinis gradus. II. Alia dicitur *prudentialis*, pariter innixa testimonio hominum Fide dignorum: quod etsi facilius fallere possit, quia tamen *actualem* formidinem de falsitate asserti excludit, ideo & prudentem firmat assensum. Ita quisque credit se illis parentibus natum, qui eos se dicunt, & ab omnibus habentur. Credimus nos esse baptizatos, quia affirmant parentes, Patrini, Parochus &c. III. Certitudo *conjecturalis*, seu *probabilis* e quibusdam signis desumpta, quæ faciunt, ut nimia anxietate deposita, me justificatum esse confidam, etiamsi non omnis absit formido.

113 Lutherus tantam de nostra justificatione admittit certitudinem, quantam habemus de aliis veritatibus revelatis. h. e. certitudinem Fidei, ut possimus & debeamus credere remissa nobis esse peccata; quia ut ait Articulo XV. *Certa est Christi Salvatoris promissio.* Non procul ab isto errore recedit Ambrosius Catharinus, Dominicanus, qui voluit, hominem non quidem debere, sed saltem *posse* certitudinem Fidei habere de sua justificatione, ex isto ratiocinio ortam, ubi prima propositio de Fide, altera naturaliter certa est. Sic autem concludit: Fide certum est, homini vere pœnitenti, & Deum perfecte diligenti, remitti peccata: atqui ego lumine naturæ cognosco, & intima conscientia certus sum, quod

quod vere pœnituerim &c. ergo certus sum peccata mihi esse remissa.

Dominicus Soto ejusdem Ordinis Theologus, talem admittit moralem certitudinem, quantam habemus de existentia Parisiorum, hoc est, omni tam actuali quam possibili formidine de opposito exclusa. Alii admittunt prudentialem, qualem habet filius de suis parentibus, aut accepto baptismo.

Resolutio I. Seclusa revelatione particulari homo nec *debet*, nec *potest* certitudine Fidei credere, aut scire, se in statu gratiæ esse constitutum. Est quoad I. adversus Lutherum & definitum a Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 9. can. 13. & 14. Quoad II. contra Catharinum.

Prob. I. Non potest homo sine Revela- 114
tione habere hanc certitudinem. Ergo nec debet eam habere. *Ant. prob.*; I. variis S. Scripturæ textibus. Prov. XX. 9. *Quis potest dicere, mundum est Cor meum, purus sum a peccato?* Ecclesiastici IX. 1. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* In quem locum ita scribit D. Hieronymus: „ Sensus est, inveni justorum „ quidem opera in manu Dei esse, & ta- „ men, utrum amentur, vel non, nunc „ eos scire non posse, & ambiguos fluctua-

„ re, in futuro igitur ſcient. . . . quia „ tunc eſt judicium, & nunc certamen &c.„

115 Prob. II. Scriptura docet, hominem debere eſſe ſemper pavidum: ergo nequit habere certitudinem. *Prob. ant.* Eccleſ. V. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Ad Philipp. II. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* I. Petri I. *in timore incolatus veſtri tempore converſamini.*

116 Prob. III. Teſtimonio & exemplo Jobi, Davidis, & Pauli; Hi tres SS. Viri juſti erant: & tamen incertos ſe fatebantur de ſua juſtitia, & plenos formidine: ergo &c. *Ant. prob.* afferendo eorum verba: Job: Cap. IX. 20. ait: *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me; ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit: etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti*: David Pſal. 18. *delicta, quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.* Paulus I. Cor. IV. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me, Dominus eſt.* In quæ verba S. Hieronymus Ep. II. contra Pelagianos: „ Qui hoc dicebat, nullius utique peccati „ ſibi conſcius erat: ſed quia legerat, *de-* „ *licta*

„ *licta quis intelligit*, vel idcirco tempera-
„ bat ſententiam, ne forte per ignoran-
„ tiam deliquiſſet. „

Prob. IV. ex SS. PP. S. Ambrosius Serm. 117
5. in Pſal. 118. explicans illud: *amputa opprobrium meum, quod ſuſpicatus ſum*, ita ait:
„ ſui volebat auferri opprobrium, quod
„ ſuſpicatus eſt, ſed quia cogitaverat in
„ corde, & non fecerat: & pœnitentia li-
„ cet abolitum, ſuſpectus tamen erat, ne
„ forte adhuc maneret ejus opprobrium;
„ & ideo Deum precatur, ut illud auferat,
„ quia ſolus novit, quod neſcire poteſt
„ etiam ipſe, qui fecit. „

S. Joan. Chrysostomus hom. 87. in Joan. „ Propterea contriſtatus ſum, ne
„ forte me amare arbitratus non amem ut
„ ante, cum me fortem & conſtantem pu-
„ tarem, imbecillis inventus ſum. „

S. Augustinus L. de perfectione juſtitiæ: „ Quantalibet juſtitia ſit præditus ho-
„ mo, cogitare debet, ne aliquid in illo,
„ quod ipſe non videt, inveniatur eſſe cul-
„ pandum. „

S. Bernardus Serm. I. de ſeptuag. „ Quis
„ poteſt dicere: ego de electis ſum, ego
„ de prædeſtinatis ad vitam, ego de nume-
„ ro filiorum? quis hæc, inquam, dicere
„ poteſt, reclamante ſcriptura: *Neſcit ho-
„ mo, ſi dignus ſit amore an odio.* Certitu-

 „ dinem

„ dinem utique non habemus, ſed ſpei fi-
„ ducia conſolatur nos, ne dubitationis hu-
„ jus anxietate penitus cruciemur. „

118 Prob. V. Ratione I. Nihil poteſt Fide divina credi, niſi clare id expreſſum ſit in S. Scriptura, ut volunt Proteſtantes, aut evidenti conſequentia inde deducatur: at Luthero, Calvino, aliisque in particulari remiſſa eſſe peccata, nullibi in S. Scriptura revelatum & expreſſum eſt, neque per evidentem ſequelam inde deduci poteſt: ergo nec Lutherus aut Calvinus, nec ullus alius, certo tanquam de Fide credere poteſt, ſe eſſe juſtificatos, *min.* patet; ubi enim extat ille textus, Lutherum eſſe juſtum, aut qua conſequentia deduci poteſt? univerſim quidem promiſſa eſt omnibus remiſſio peccatorum, ſed non ſine conditionibus requiſitis, nempe ſi homo ex toto corde, in jejunio, fletu & planctu, verbo, per actus pœnitentis ſe ad Deum converterit: iſtas vero conditiones ab aliquo in particulari fuiſſe adimpletas, nullus certo ſcire, multo minus Fide divina credere poteſt defectu revelationis: ergo &c. Si enim poſſet quis credere ſuam juſtificationem, deberet eam habere ex hoc diſcurſu: de Fide certum eſt, omnibus vere pœnitentibus conferri juſtificationis gratiam: at vero ego vere pœnitui aut credidi: ergo collata eſt mihi juſtificationis gratia: hoc autem diſcurſu non probatur intentum; nam ut haberi poſſit

possit Conclusio Fidei, debet una esse de Fide, altera physice aut metaphysice certa: in hoc vero discursu minor propositio nec metaphysice, nec physice certa, sed ad summum probabilis est, conjectura est: ergo etiam Conclusio non Fidei, sed probabilitas erit; cum Conclusio sequatur partem debiliorem.

II. Si fidelis quisque posset habere cer- 119
titudinem Fidei de sua justitia, tunc Magdalenæ aliisque non fuisset facta gratia specialis, dum ipsis peccata fuisse remissa, Deus specialiter revelavit; cum ea etiam absente certissimi fuissent suæ justificationis: hoc dici nequit: *ergo* &c.

III. Si certitudo justificationis faceret 120
Fidei articulum, sequitur, hominem quovis peccato fieri hæreticum; non enim peccator potest credere, se esse justum, & sic in Ecclesia nullus daretur peccator; si enim hæreticus evadit, extra Ecclesiam est: quæ sequela in Donatistis damnata fuit.

IV. Si omnis, qui credit se justum, hoc 121
ipso est justificatus, sequitur, quod omnes hujus temporis sectarii non solum Lutherani, & Calvini, sed & Zwingliani, Anabaptistæ, & innumeri, justi sint ac salventur; cum hanc certitudinem omnes prædicent: sequelam nullus sectariorum admittit; nam Calviniani Lutheranos, & hi vicissim

cissim Calvinianos, utrique omnes alios sectarios extra veram Ecclesiam esse affirmant, & salvari posse negant: ergo.

122 Objic. I. Adversarii plurimos S. Scripturæ textus. Joan. XIII. ait Christus ad discipulos: *In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*: ergo multo magis quisque de se ipso scire poterit, se esse Christi discipulum.

Repsond. Hic textus si quid probat, hoc etiam, & maxime evincit, quod alii quoque & nostræ justitiæ possint habere certitudinem & fidem, quod nec Adversarii admittent. Itaque verba Christi hoc volunt, quod dilectio fraterna præ reliquis sit clarius quoddam signum Christianæ professionis, ita, ut fortissima præsumtio oriatur, illum esse Christianum, qui proximo signa exterioris benevolentiæ dederit. Cum vero hæc ipsa fraternæ charitatis signa quandoque ficta tantum sint, & nec ipse, qui ea dedit, certus esse possit, quo spiritu ducatur, an motivis carnis & sanguinis, aut vere spiritualibus eo cogatur, sic nec ipse de sua charitate, multo minus alius, certitudinem, sed solam denique conjecturam habere potest.

123 Objic. II. Idem Christus ait Joan. XIV. *Mittam vobis Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non novit eum,*

nec

nec ſcit eum; vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. . . . In illa Die cognoſcetis, quia ego ſum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.

Respond. Priora verba textus hoc probant, & intendunt, quod nemo poſſit Spiritum S. cognoſcere & in eum credere, niſi per prævenientem ejus gratiam, quæ non datur mundo, id eſt, incredulis. Duobus enim modis poteſt haberi Spiritus S. vel *inhabitando* per gratiam ſanctificantem, tanquam in templo animarum noſtrarum: & hujus inhabitationis non habemus certam cognitionem: vel *movendo* & diſponendo nos, ut per actus divina gratia præventi eidem futuram habitationem præparemus, quod principaliter ſeu primo fit per fidem, tanquam initium juſtificationis. Poſteriora autem verba, quibus Chriſtus dixit: *In illa autem Die cognoſcetis*, a S. Augustino & Cyrillo Alexand. Commentar. in hunc locum explicantur de cognitione intuitiva alterius vitæ, ubi utique certi erimus, & clare videbimus Patrem in Filio, nos in Filio, & Filium in nobis eſſe.

Objic. III. Paulus Rom. VIII. *Ipſe* 124
Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus Filii Dei.

Respond. *Diſt.* Spiritus reddit teſtimonium ſpiritui noſtro &c. per aliquam revelatio-

lationem. *neg.* per experimentum cujusdam ſuavitatis, aut infundendo nobis amorem filialem: quod ipſum tamen vere a Spiritu S. eſſe, ſine revelatione ſcire non poſſumus; cum quandoque etiam peccatores ejusmodi motus ſentiant. *Conc.* dici etiam poteſt; PAULUM hic loqui non de quovis in particulari, ſed de tota Eccleſia Chriſtiana comparata cum ſynagoga V. T. quæ non habuit ſpiritum adoptionis, ſaltem adeo perfectum, ſed ſpiritum ſervitutis in timore.

125 OBJIC. IV. Idem II. Cor. I. 12. *Gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali; ſed in gratia Dei converſati ſumus.*

RESPOND. D. PAULUS ex teſtimonio conſcientiæ ſuæ magnam ſenſit lætitiam & confidentiam, non tamen omnimodam certitudinem; *nihil mihi conſcius ſum*, ait alibi; *ſed non in hoc juſtificatus ſum*: quando vero gloriatur, ſe fuiſſe converſatum in gratia, non loquitur de habituali & ſanctificante, ſed de gratia miniſterii & Apoſtolatus, cui pro viribus eſt cooperatus, & ad quod officium non humana poteſtate, ſed immediata Dei miſſione fuerat ordinatus.

126 OBJIC. V. Ibid. Cap. XIII. *Vosmet ipſos tentate, ſi eſtis in fide, ipſi vos probate: an non cognoſcitis vosmet ipſos, quia Chriſtus*

JE-

JESUS in vobis eſt: niſi forte reprobi eſtis.

Respond. D. Paulum non loqui de præſentia Chriſti in Corinthiis per gratiam ſanctificantem, cum eò ipſo in loco eos increpet, & quosdam illorum ut iniquos reprehendat: ſed hoc vult dicere, Chriſtus apud vos eſt per potentiam miraculorum; nam ſi vos ipſos bene conſideratis, & ea, quæ apud vos facta ſunt miracula, ſi quid in vobis fidei eſt, & niſi dati eſtis in reprobum ſenſum, facile cognoſcetis, Chriſtum apud vos eſſe, qui per nos Apoſtolos vos regit & gubernat.

Objic. VI. I. Joan. III. 14. *Scimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ibid. 24. *Qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus, quoniam manet in nobis, de Spiritu, quem dedit nobis.* 127

Respond. Vel S. Joannes illa verba dirigit ad univerſam Eccleſiam, quæ ſancta eſt quoad ſe, & plurima membra: nullum autem membrum in particulari poteſt habere de ſua juſtitia vel charitate infallibilem certitudinem, vel ſenſus eſt, quod illi, qui vere diligunt, ſint translati de morte ad vitam. Quod autem loquatur in prima perſona, inde eſſe potuit, quia bona ſpe confidebat, ſe eſſe unum ex illis, qui vere di-

ligunt

ligunt fratres. Inſuper verbum *ſcire* non ſemper ſtricte ſumendum pro infallibili *certitudine*, ſed pro *fiducia*, quæ non omnem excludit formidinem.

128 Objic. VII. Auth. SS. PP. quos plurimos proferunt Adverſarii, hic tamen omnes referre non vacat &c. S. Hilarius in cap. 5. Math. ait: „ Regnum cœlorum, quod „ Dominus in ſe eſſe poſitum profeſſus eſt, „ vult ſine aliqua voluntatis ambiguitate „ ſperari. Alioquin juſtificatio ex fide nul„ la eſt, ſi fides ipſa fiat ambigua. „

Respond. Loquitur de Fide Reſurrectionis, aitque, niſi eam quis firmiter credat, eum neque ſpem habere, imo nec juſtificari poſſe, ſi quis de corporum Reſurrectione dubitet: hoc vero nil facit ad præſentem quæſtionem.

129 Objic. VIII. S. Ambrosius ſermone V. „ Quiſquis illi fermento Chriſti adhæreſcit, „ efficitur & ipſe fermentum, tamque ſibi „ utilis, quam idoneus univerſis, & de ſua „ certus ſalute, & de aliorum acquiſitione „ ſolicitus. „

Respond. S. Ambroſius loquitur de certitudine *conditionata*, nempe quod ille, qui Chriſto vere adhæret, & in eo permanet, certus ſit de ſua ſalute, quod verum eſt. An autem aliquis Chriſto vere adhæreat, & in eo permaneat: hoc certo ſcire non poteſt.

Objic.

OBJIC IX. S. AUGUSTINUS Serm. 6. de 130
Verb. Apoſtoli: *ſi quis Spiritum Chriſti non habet hic non eſt ejus.* „ Ecce adjuvante „ ipſius miſericordia Spiritum Chriſti ha- „ bemus ex ipſa delectatione juſtitiæ, in- „ tegra fide, Catholica fide, ſpiritum Dei „ in nobis eſſe cognoſcimus. „ ergo, infert CATHARINUS, catholica fide quis certus eſſe poteſt de ſua juſtitia.

RESPOND. Senſus Verborum eſt iſte. Ex delectatione juſtitiæ, & ex fide catholica, tanquam duobus ſignis & conjecturis, cognoſcimus, Spiritum Chriſti eſſe in nobis. Si enim, ut CATHARINUS vult, ſenſus verborum Auguſtini talis eſſet: ex Delectatione juſtitiæ tanquam ex aliquo ſigno cognoſcimus fide catholica, Spiritum Dei eſſe in nobis, plane abſurdiſſimus foret; quoniam fides catholica non noſtræ delectationi, ſed Divinæ revelationi innititur. Nullus autem, ordinarie ſaltem, revelationem habet, hanc delectationem eſſe a Deo; poteſt enim etiam eſſe a diabolo transformato in Angelum lucis.

OBJIC. X. S. BERNARDUS Serm. 1. de an- 131
nunt. Dom. „ ſi credis, peccata tua non „ poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc ut credas, quia per ipſum tibi peccata donan- „ tur. Hoc eſt teſtimonium, quod per-

„ hibet in corde noſtro Spiritus Sanctus „ dicens : dimiſſa ſunt tibi peccata tua. „ Sic enim arbitratur Apoſtolus gratis ju„ ſtificari hominem per fidem &c.

Respond. S. Bernardus vult, quemlibet fide Divina credere debere, ſolum Deum paratum eſſe ad remittendum peccata, ſibique etiam remiſſa eſſe, ſi omnem conditionem a Deo requiſitam adimpleverit: de quo tamen homo certus eſſe non poteſt. Vide Bellarmin. de juſt. L. 4. cap. 10.

132 Objic. XI. Certum eſt, ſacramenta conferre gratiam non ponenti obicem: ſed poteſt aliquis certus eſſe, ſe non poſuiſſe obicem. ergo poteſt certus eſſe de accepta gratia.

Respond. neg. *min.* ſi intelligitur de certitudine fidei. Igitur, qui nullius peccati gravis ſibi conſcius eſt, inſuper & exiſtimat, ſe debite fuiſſe diſpoſitum per actus prævios, humanam & moralem certitudinem habet de ſua gratia, non tamen ſine formidine oppoſiti, fieri enim poteſt, quod ſacerdos v. g. abſolvens aut non pronuntiaverit eſſentialia formæ, aut non habuerit intentionem abſolvendi, aut non ſit legitime ordinatus, aut quod ipſe pænitens non ſatis diſcuſſerit conſcientiam ſuam, nec omnes actus pænitentiæ elicuerit &c.

Objic. XII. Ecclesia habet certitudinem, 133
quosdam esse in gratia; v. g. Martyrem, quem indubitata fide colit ut sanctum, aliosque quos Albo beatorum inscribit. ergo multo magis ipse martyr certus esse potest de sua justitia.

Respond. *Trans.* Ant. nego *Consequent.* disparitas est; quia dici potest, Ecclesiam habere specialem assistentiam Spiritus Sancti, ne aliquem pro sancto aut Martyre declaret, qui revera non est: econtra ipse martyr per se & ordinarie hanc assistentiam non habet, ne in suo judicio decipiatur. II. Ecclesia de martyre adhuc in tormentis vivo existente non habet certitudinem; quia dum spirat, adhuc deficere potest. Quod vero alios sanctos attinet, eorum in gratia perseverantiam colligit ex Miraculis, quibus Deus pretiosam sibi esse sanctorum testatur mortem, quibus rite examinatis ecclesia secure fidit, quoniam Deus fallere nescius ad manifestandam cujusdam sanctitatem non patraret miracula, nisi in gratia & charitate fuisset defunctus.

Objic. XIII. Homo privatus potest ha- 134
bere certitudinem alienæ gratiæ. ergo multo magis suæ. *ant. prob.* sacerdos baptizans infantem certus est de gratia eidem collata; quia sacramentum operatur ex opere operato: certus est de materia, de forma, certus etiam de sua intentione. *ergo.*

Respond. Diſparitas eſt ; quia ex parte miniſtri conferentis baptiſmum non requiritur diſpoſitio quædam & actus ſupernaturalis, ſed ſufficit materia, forma & intentio : quæ cum naturalia ſint, poteſt habere phyſicam certitudinem & experientiam. Econtra in adulto recipiente ſacramentum, aut ſe diſponenti ad juſtificationem, requiruntur actus ſupernaturales, quos an vere habuerit prout oportet, non poteſt habere certitudinem, ſed conjecturam & inde ortam fiduciam.

135 Resolutio. II. Non poteſt homo Viator de ſuo ſtatu gratiæ habere certitudinem moralem, quantam aliquis habet de exiſtentia Romæ, nec prudentialem, qua quis credit ſe eſſe hujus matris filium ; ſed ſolum conjecturalem cum actuali formidine oppoſiti.

Prob. I. pars. Iſta certitudo in ſummo gradu, quo quis credit exiſtentiam Romæ utut nunquam ſibi viſæ, tanta eſt, ut excludat omnem formidinem de oppoſito, ita ut non ſolum actu non dubitet, ſed nec poſſit prudenter dubitare : atqui notitia, quam quis habere poteſt de ſtatu gratiæ, non excludit omnem nec actualem, nec potentialem formidinem : ergo non poteſt haberi certitudo moralis. *min. prob.* conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 9. expreſſe dicit, quemlibet, dum ſe ipſum ſuamque propriam

priam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poſſe.

Prob. II. Homo non poteſt habere 136
hanc moralem, de qua loquimur, certitudinem de accepta juſtitia; vel enim eam accepiſſe credit extra, vel intra ſacramentum? ſi extra ſacramentum: tunc debuit elicuiſſe actum perfectæ & intenſæ contritionis, ſeu actum Amoris Dei ſuper omnia: at vero de hoc non poteſt habere certitudinem; cum enim iſte actus debeat eſſe ſupernaturalis, & ſit valde arduus: neſcire poteſt, an fuerit ex omni parte perfectus: imo neſcire poteſt, an per aliquod peccatum occultum ignorantiæ, omiſſionis, acceptam forte juſtitiam non perdiderit: ſed nec certus eſſe poteſt de juſtitia in ſacramenti perceptione collata; præterquam enim, quod certus eſſe nequeat, an non poſuerit obicem, vel reticendo peccatum, vel omittendo diſpoſitionem, inſuper non conſtat, an Miniſter adhibuerit debitam formam cum præſcripta intentione &c.

Prob. II. pars. certitudo *prudentialis*, de 137
qua n. 112. tanta eſt, ut excludat ſaltem formidinem actualem, ita ut aliquis prudenter non dubitet; nam ſacerdotem cognitum, quem video publice celebrare, matrem, quam dicunt omnes eſſe meam,

me esse baptizatum &c. authentica testimonia virorum exceptione majorum, baptismalis liber, aliaque monumenta ita de veritate me certum faciunt, ut non nisi imprudenter & temerarie meum assensum denegem. At vero tanta testimonia non habeo de statu gratiæ, ut videtur manifestum, ergo.

138 Prob. III. pars, non posse haberi certitudinem aliam, nisi conjecturalem. Nam sine revelatione speciali non datur medium infallibile, nec a priori, nec a posteriori ad dignoscendum statum gratiæ. Non a *priori;* hoc enim deberet esse vel voluntas Divina de collata gratia: & hæc haberi non potest ex dictis. Vel dispositio nostra: & de hac iterum certi non sumus, ut dictum. Non a posteriori; nam effectus, qui putantur esse gratiæ habitualis, possunt provenire a gratia actuali, v. g. interna quædam suavitas & dulcedo spiritus: vel illusio diabolica, proveniens a Dœmone, qui se non raro transfigurat in Angelum lucis: vel etiam potest esse delectatio *sensibilis*, & quam falso existimamus *spiritualem.* Ista ergo signa, quæ homo in se experitur, conjecturam pariunt & fiduciam: id quod docere videtur S. Thomas 1. 2. q. 112. a. 5. in corp. ubi ait: „ Tertio modo cognoscitur aliquid „ conjecturaliter per aliqua signa, in quantum scilicet percipit, 1. se delectari in „ Deo

„ Deo. 2. Contemnere res mundanas. „ Et 3. in quantum homo ſibi non eſt „ conſcius alicujus peccati mortalis. „ Quæ tria ſigna latius ad praxin explicat D. Habert omnino videndus.

Objic. I. Poteſt quis habere certitudi- 139
nem de ſtatu peccati, in quo verſatur: ergo etiam de ſtatu gratiæ; facilius enim cognoſcitur lumen, quam tenebræ: gratia autem eſt animæ lumen, peccatum autem tenebroſa caligo. *ergo.*

Resp. Cum D. Thoma loc. cit. ad 3. „ dicendum, quod peccatum habet pro „ principio & objecto bonum commuta„ bile, quod nobis eſt notum: objectum „ autem vel finis gratiæ eſt nobis ignotum „ propter ſuæ illimitationis immenſitatem, „ ſecundum illud I. Timoth. ult. *Lucem in„ habitat inacceſſibilem.* Hæc S. Thomas. ergo hæc eſt differentia; ad peccatum ſufficit cognitio mali, ſeu transgreſſio præcepti, & libera determinatio, quæ cum a nobis ipſis tanquam prima & unica cauſa deficiente proveniat, certo eam poſſumus cognoſcere: econtra ad ſtatum gratiæ habitualis requiruntur actus ſupernaturales fidei, ſpei charitatis, pænitentiæ &c. qui, an debitis conditionibus fuerint inſtructi, nos latet; bonum enim ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.

140 Objic. II. Si homo nequidem prudentialem posset habere certitudinem suæ justificationis, tunc deberet esse in perpetua anxietate: sed hoc videtur repugnare scripturæ, quæ monet, ut *justificati ex fide pacem habeamus* Rom. V. 1. ergo.

Respond. Nego sequelam; ad hoc enim, ut possit habere fiduciam de sua gratia & salute, sufficit certitudo conjecturalis; si enim conscientia nostra non reprehendat nos, confidimus in Divina misericordia & meritis Christi. Ceterum semper verum manet, quod cum metu & tremore salutem nostram operari debeamus, & dicere cum magno Apostolo: *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.*

§. II.

De justitiæ semel acceptæ amissibilitate.

141 Justum in gravia peccata labi & acceptam prius justitiam amittere posse perpetua fuit Ecclesiæ doctrina. Primus eam impugnavit Jovinianus Sæculi IV. ad finem inclinantis Hæreticus, cujus præter alios is error fuit, justitiam in Baptismo acceptam non posse amitti, nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto, ut ait S. Augustinus de Hæres. cap.

cap. 58., ſecutus eſt eum PELAGIUS, docens, vitam juſtorum ſine omni peccato eſſe. Innovavit errorem ex parte LUTHERUS, qui l. de captiv. Babyl. ait: *fidelis etiam volens non poteſt perdere ſalutem, niſi nolit credere; nulla enim peccata poſſunt eum damnare, niſi ſola incredulitas.* Itaque ex mente Lutheri juſtitia ſola fide amitti poteſt. Cætera peccata non obſunt. Quo tamen in capite non omnes Lutherani eum ſequuntur. Fatentur enim in confeſſione Auguſt. art. 11. ſemel juſtificatos iterum amittere poſſe Spiritum ſanctum, & contrarium Annabaptiſtarum errorem ibidem damnant: quamvis aliqui inter eos ſentire videantur, ſemel juſtificatum, juſtitia per peccatum ad aliquod tempus amiſſa, certo ad fidem juſtificativam rediturum eſſe.

Ulterius proceſſit CALVINUS aſſerens, 142
fidem & juſtitiam electis eſſe propriam, & ſemel vere acceptam nulla ratione poſſe amitti: qui vero electi non ſunt, fidem & juſtitiam nunquam habere, etſi habere videantur. Utcunque ergo juſtificati in gravia ſcelera labantur, fidem tamen & charitatem, ab ea indiſtinctam ex mente Calvini, atque juſtitiam retinent, Spiritu ſancto quem peccata equidem contriſtant, ſed non extinguunt, inhabitantur, amici & Filii Dei permanent. Aliqui tamen ex Calvinianis ita ſententiam miti-

gant, ut etſi per gravia ſcelera ſanctitatem amitti fateantur, omnes tamen quondam juſtos certo ad pænitentiam redituros atque ſalvandos fore doceant; quoniam fidem & charitatem habitu retinent. Contra hoc monſtrum erroris ſtatuitur

143 Resolutio. Juſtitia non eſt propria electis, & ſemel habita non ſolum infidelitatis, ſed quolibet peccato a viatore amitti poteſt. *Eſt de fide.*

Prob. I. pars. Juſtitiam non eſſe propriam prædeſtinatis. Non omnes vere fideles, ſunt prædeſtinati: ſed omnes vere fideles ex mente Novatorum ſunt juſti: ergo non omnes juſti ſunt prædeſtinati, ſed etiam reprobi quidam poſſunt ad tempus eſſe juſti, ergo juſtitia non eſt propria electorum. M. *prob.* Fidelis & juſtus quondam erat Simon Magus, utpote baptizatus, ut teſtatur Lucas act. VIII. fidelis & juſtus quondam erat Judas proditor, ut Probat S. Hieronymus. l. 3. contra Pelagianos ex illis Chriſti verbis Joan. XVII., *Pater, quos dediſti mihi, cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Si enim Judas a Patre fuit Chriſto datus, certe tunc bonus fuit. Sed nec Simon, nec Judas prædeſtinati erant. ergo. II. Si juſtitia propria eſt prædeſtinatis, tunc Angeli rebelles aut fuerunt prædeſtinati, aut nunquam fuerunt juſti

juſti, neutrum admittit Calvinus. Non utique primum; ſecus negare deberet, dæmones eſſe damnatos, quia prædeſtinati damnari non poſſunt. Non ſecundum, ſi enim juſti non fuerunt, tunc cum peccato a Deo fuerunt creati, & Deus illius eſſet Phyſica & moralis cauſa: qua major blaſphemia cogitari non poteſt: & hæc aſſertio contraria foret unanimi fere SS. PP. Sententiæ, qui dæmones in juſtitia fuiſſe creatos, & poſtea libere peccaſſe, deducunt ex cap. XIV. Iſaiæ & Ezechiel. XXVIII.

Prob. II. pars. Juſtitiam ſemel habitam 144
poſſe amitti ex S. ſcriptura Prov. XXIV. 16. *Septies cadet juſtus, & reſurget, impii autem corruent in malum.* In malo computreſcent. Ezech. XVIII *Cum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Ex parabola Evangelica Luc. VIII. ubi verbum Dei ſeu fides comparatur ſemini, eruitur, fidem ſemel habitam poſſe amitti. ergo & juſtiſtia; quoniam fides & juſtitia juxta Calvinum inſeparabilis, & illa hujus cauſa eſt. *Ant. prob.* nam Chriſtus ait: *quod ſupra petram, hi ſunt, qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt Verbum: & hi radices non habent, ſed ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* ergo fides ſemel habita amiſſibilis eſt. Joan. XV. ait Chriſtus: *omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum... colligent eum*

&

& in ignem mittent, & ardet. Non potest esse palmes Christi, nisi fidelis, & aliquando vivus, id est justus, secus non fuisset in Christo, quia Christus non aridos sed vivos palmites profert: supponet autem, aliquos palmites non ferentes fructus abscindendos a vite & æternum ab ea separandos, utpote igne infernali comburendos esse.

145 Prob. II. Exemplis ex S. Scriptura petitis. I. Justi erant protoparentes nostri, utpote cum justitia originali a Deo conditi: at vero primam justitiam peccato amiserunt, ut negare non possunt adversarii. ergo. II. Saul Rex Israelis aliquando bonus & justus erat prout patet ex I. Reg. IX. ubi hoc ei testimonium tribuit scriptura. *Erat Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Israel melior illo. Ab humero & sursum eminebat super omnem populum.* Si enim Saul eo tempore non fuisset justus, ut vult Calvinus, tunc nullus in universo populo Israelis fuisset vere justus, quod falsum est, cum viveret adhuc Samuel aliique prophetæ & prophetarum Filii. At vero non solum justitiam amisit Saul, sed & pro damnato & reprobo communiter etiam a patribus habetur ex I. Reg. XV. & XVI.

Prob. III. Vel solum Davidis exemplum convincere Calvinum potest. Erat is certe aliquan-

aliquando vere juſtus, cum de eo teſtetur Deus Act. XIII. *Inveni David virum ſecundum cor meum.* At vero juſtitiam adulterio & homicidio amiſiſſe, quis poteſt negare? cum Nathan propheta a Deo fuerit ad eum ablegatus, ut ad pænitentiam provocaret Davidem. IV. Idem dicendum de SALOMONE, de cujus juſtitia aliquando accepta non ſinit dubitare ſacra Scriptura, atteſtans de eo II. Reg. XII. *Vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum . . . vocavit nomen ejus amabilis Domino, eoquod Dominus diligeret eum.* Ita tamen juſtitiam amiſit, ut an eam denuo recuperaverit per pænitentiam, & ſalutem acquiſierit, Patres & ſcriptores vehementer dubitent. V. Denique & PETRUS juſtus erat; cum ipſe Chriſtus dixerit: *Beatus es Simon &c.* Math. XVI. imo Joan. XIII. *totum mundum* eum appellaverit. At vero trina negatione amiſiſſe juſtitiam, extra controverſiam videtur; cum D. AUGUSTINUS eos, qui Apoſtolum excuſare & levis tantum peccati accuſare conabantur, reprehendat Tract. 66. in Joan.

PROB. III. ex traditione. Opinionem, 146
quam docet CALVINUS, erroneam & hæreticam damnavit Eccleſia in JOVINIANO & PELAGIO, contra quos calamum maxime acuerunt HIERONYMUS, qui lib. II. adv. Jovin. ait: „ ſi non peccamus poſt bap„ tiſma, cur nobis poſcimus peccata dimitti,

„ ti, quæ in baptiſmate jam dimiſſa ſunt? „ quid oramus, ne intremus in tentationem „ & ut liberemur a malo, ſi diabolus ten- „ tare non poteſt jam baptizatos? „ & Augustinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 9. „ Ex duobus autem piis cur huic „ donetur perſeverantia uſque in finem, „ illi autem non donetur, inſcrutabilia „ ſunt Dei judicia nonne utrique „ a Deo creati, utrique ex Adam na- „ ti, utrique de terra facti erant, „ & ab eo, qui dixit: omnem ſtatum „ ego feci, unius ejusdemque naturæ „ animas acceperant? nonne poſtremo u- „ trique vocati fuerant & vocantem ſecu- „ ti, utrique ex impiis juſtificati, & per „ lavacrum regenerationis utrique reno- „ vati? „

147 Prob. Ratione I. Sine fide non poteſt haberi juſtitia: ſed fides ſemel habita poteſt amitti: ergo & juſtitia.

II. Si juſtitia ſemel accepta non poſſet amitti, ſequeretur, omnes legitime baptizatos, aut in lege veteri circumciſos, non poſſe amplius peccare, ſicque infallibiliter ſalvari: ſequela eſt experientiæ & principiis Calvini contraria; quia ſecus concedere debet omnes catholicos in infantia baptizatos, & veram fidem habere, & infallibiliter ſalvari.

III. Si

III. Si juſtitia & conſequenter fides non poteſt amitti, tunc nec unquam exſtitit, nec modo exſiſtit hæreticus; ille enim ſolus hæreticus dicitur, qui a vera fide in errorem voluntarium cum pertinacia deflectit. Sequela iterum abſurda eſt & contraria PAULO I. Tim. I. *quidam circa fidem naufragaverunt.* & Cap. 6. *quam quidam appetentes erraverunt a fide.*

IV. Si non poteſt amitti juſtitia, tunc vana eſt Sollicitudo S. PAULI. qui I. Cor. IX. ait: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Fruſtra quoque admonemur ad perſeverantiam & ſolicitudinem; & tamen ait PAULUS: *qui ſtat videat ne cadat.* I. Cor. X. 12. & PETRUS monet. *Fratres ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando.*

PROB. III. pars, non ſola infidelitate, 148
ſed quovis peccato mortali amitti juſtitiam, hominemque excludi a regno cælorum. vid. Trid. Seſſ. 6. cap. 15. & can. 27. & 28.

PAULUS ad Eph. Cap. V. *hoc intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.*

CHRI-

Christus Math. XIX. 17. Juveni interroganti : *Magiſter , quid faciendo vitam æternam poſſidebo ?* non reſpondit : tantum crede : ſed : *ſi vis ad vitam ingredi , ſerva mandata. Non homicidium facies , non adulterabis , non facies furtum &c.* Paulus ad Rom. I. 24. & ſequ. enarrans gentilium crimina , maxime præcepto ſexto oppoſita , denique concludit : *non intellexerunt ; quoniam qui talia agunt , digni ſunt morte , non ſolum qui ea faciunt , ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* & I. Cor. VI. *an neſcitis , quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt ? nolite errare , neque fornicari , neque idolis inſervientes , neque adulteri , neque molles , neque maſculorum concubitores , regnum Dei poſſidebunt.*

149 Prob. II. Exemplo Adami , Davidis &c. qui non infidelitate , ſed alio peccato amiſerunt juſtitiam.

Prob. III. Ratione. Deus non poteſt diligere ullum peccatum , conſequenter nec peccatorem ; quia peccatum quodlibet eſt ſumme contrarium bonitati & juſtitiæ Divinæ : ſed quem Deus non diligit , eſt Dei inimicus ; *odio* enim *eſt Deo impius & impietas ejus :* ergo quilibet peccator , & non ſolum infidelis , eſt inimicus Dei , & odio ab eo habetur. Sed inimicus Dei non habet juſtitiam : ſecus eſſet amicus & Filius Dei , hæres regni. ergo quolibet

peccato

peccato amittitur amicitia & filiatio Dei, consequenter justitia.

150 Objic. Adversarii varios S. Scripturæ textus Cant. VIII. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Si charitas non potest amitti, ergo nec fides; quoniam charitas sine fide esse non potest.

Respond. I. *dist.* Non potest amitti a nolente. *Conc.* a volente. *neg.* posse eam amitti, patet ex Apocal. Cap. II. ubi dicitur: *Habeo adversum te pauca, quia primam charitatem reliquisti. memor esto, unde excideris,* item Math. XXIV. *quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Respond. II. Nomine aquarum & fluminum hic intelligi non peccata, sed tribulationes temporales, quas homo charitate flagrans pro Deo superat, ut patet in SS. Martyribus.

151 Objic. II. Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi. . . , Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare a charitate Dei.*

Respond. ut prius, hic tantum explicari a D. Paulo firmissimum propositum, quod habuit, se nolle charitatem deserere ob ullam tribulationem, aut temporale motivum quodcunque, & omnia potius pati, quam Deum offendere.

152 Objic. III. 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.*

Respond. Sensum esse, quod, quamvis fides & spes evacuentur in patria, charitas tamen non excidat, quia etiam manebit in Beatis.

153 Objic. IV. I. Joan. III. *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen illius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.*

Respond. I. Retorq. ergo neque per infidelitatem peccare justus potest: quod est falsum.

Respond. II. *dist.* peccator non potest peccare, in sensu reduplicativo, quamdiu justus est, & *qua* justus manens; sic enim deberet simul stare peccatum & gratia: quod repugnat. Potest vero peccare *qui* justus.

Respond. III. *dist.* non potest peccare, quando operatur ex justitia & charitate influente in opus. *Conc.* dum operatur contra justitiam & charitatem. *neg.* ipse S. Joan. se explicat loc. cit. *Omnis, qui manet in eo, non peccat*, nimirum quamdiu in eo manet. item Cap. 2. *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum justum, qui propitiatio est pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum &c.* Ergo supponit, Electos & Justos posse peccare.

§. III.

§. III.

De Justitiæ inæqualitate.

JOVINIANUS, de quo §vo præced. insuper 154
docuit, justorum merita esse paria, consequenter æqualem omnium futuram gloriam, quæ supponit æqualem omnium esse justitiam. Hunc errorem, quem JOVINIANUS a stoicis, virtutes & vitia omnia æqualia esse asserentibus, hauserat, adoptarunt LUTHERUS & CALVINUS, qui cum justitiam homini propriam & inhærentem inficientur, solaque Christi justitia imputata, quæ semper eadem est, hominem justificari existiment, inferunt, omnes esse æqualiter justos, eoquod omnibus imputetur, eadem justitia Christi, nec justum posse in justitia crescere; quoniam justitia Christi fide apprehensâ & nobis applicata, incrementi capax non est. Hunc errorem profligavit Concilium TRIDENTINUM Sess. VI. Can. 24. „ Si quis dixerit, justitiam acceptam non „ conservari, atque etiam augeri coram „ Deo per bona opera, sed opera bona „ fructus solummodo & signa esse justificatio„ nis adeptæ, non autem ipsius augendi „ causam, anathema sit. „ Conformiter huic doctrinæ statuitur

RESOLUTIO. Gratia sanctificans seu justi- 155
tia non est æqualis in omnibus, potestque in eodem subjecto augeri, vel minui. *Est de Fide.*

Prob. I pars ex S. Scriptura, quæ teſtatur, unum alteri in ſanctitate præferri. Nam de Job Cap. I. ait Deus: *Nunquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ei ſimilis in terra?* idem de S. Joan. Bapt. aſſeruerat Christus: Math. XI. *inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Bapt.* ait quoque; *ecce plus quam Elias hic.*

Prob. II. Fides non eſt in omnibus eadem. ergo nec juſtitia. *Ant. prob.* ex effato Chriſti Math. VIII. *non inveni tantam fidem in Iſrael.* Idem dicendum de charitate: nam de Magdalena ajebat Christus Luc. VII. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Item Joan. XV. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam ponat ſuam quis pro amicis ſuis.* ſed hanc non omnes habent. Ergo unus altero majorem charitatem, conſequenter & juſtitiam habet.

156 Prob. III. authorit. SS. PP. omitto Hieronymum, qui ex inſtituto hunc Joviniani confutavit errorem, & ſolum profero Augustinum, qui *Tract.* 67. in Joan. ſic ſcribit: „ Etſi alius eſt alio fortior, alius alio „ ſapientior, alius alio juſtior, alius alio „ ſanctior, in domo Patris mei manſiones „ multæ ſunt, nullus eorum alienabitur ab „ illa domo, ubi manſionem pro ſuo quis- „ que accepturus eſt merito. „ Inæqualitatem gloriæ correſpondentem inæquali juſtorum

ſtorum ſanctitati probant Theologi in Tract. de Deo vel de beatitudine hominis, quo Lectorem remitto.

Prob. II. pars. Poſſe hominem in ſancti- 157
tate creſcere. I. ex S. Scriptura Prov. IV. *Juſtorum ſemita quaſi Lux ſplendens creſcit usque ad perfectam diem.* Pſal. 83. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit, etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem*, quem textum explicat S. Gregorius Nazian. hom. 15. in Ezech. „ Non mirum, ſi de virtute „ ad virtutem gradus ſunt, quando ipſa „ unaquæque virtus quaſi quibusdam gra- „ dibus augetur, & ſic per incrementa me- „ ritorum ad ſumma perducitur. „ Apoſtoli quoque rogabant Chriſtum dicentes: *Domine adauge nobis fidem.* Quod fruſtra rogâſſent, notante D. Hieronymo L. 2. cont. Jovinian. ſi omnium una menſura eſt. Paulus hortatur Philippenſes I. 9. *Hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu.* Item II. Corinth. IX. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Joan. in Apocal. cap. ult. verſ. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc, & qui ſanctus, ſanctificetur adhuc.*

Prob. II. ex S. Augustino, qui ſerm. 158
158. olim 16. de verbis Apoſtoli ait: „ Ju- „ ſtificati ſumus, ſed ipſa juſtitia, cum

 „ pro-

„ proficimus, crescit: „ item Tract. 5. in 1. Joan. Ep. „ Charitas cum fuerit nata, „ nutritur, cum fuerit nutrita, roboratur, „ cum fuerit roborata, perficitur. „

159 Prob. III. Ratione I. ex Christi praecepto tenentur omnes tendere ad perfectionem Christianam; praecepit enim: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*; ergo in justificatione non infunditur gratia tanta, quæ non possit augeri & perfici: secus frustra nobis hoc dedisset præceptum.

II. Potest homo proficere in virtutibus naturalibus, in scientia, in prudentia, temperantia &c. ergo etiam in supernaturalibus; quia & gratiæ actuales non sunt æquales, sed aliæ fortius & ad perfectiora stimulant. *Adhuc eminentiorem viam vobis demonstro*; nempe charitatem, ajebat Paulus. III. sequeretur, infantem recens baptizatum æque perfectum esse, ac sanctum aliquem martyrem; cum tamen ille nullum actum personalem exercuerit: hic vero in tantis tentationibus & heroicis virtutum actibus firmus perstiterit.

160 Quæ contra hanc Resolutionem ab Adversariis objici possunt, vel spectant justitiam Christi imputatam: de qua jam supra actum est: vel intendunt probare, æqualem esse Beatorum gloriam, quam deducunt ex parabola Christi, qua singulis etiam minus labo-

laborantibus idem denarius tributus eſſe aſſeritur: ſed facile reſpondetur, hoc enim unum ibi voluit Chriſtus, omnibus dari æqualem gloriam *eſſentialem*, conſiſtentem in viſione beatifica: etſi *accidentalis* pro diverſitate meritorum inæqualis & diverſa futura ſit.

CAPUT IV.

De Operum Bonitate, & Neceſſitate.

INter præcipuos gratiæ ſanctificantis effe- 161
ctus & iſte recenſetur, quod homo juſtificatus opera bona, Deoque grata efficere, & apud Deum per eam mereri poſſit, ut conſtans eſt Catholicæ Eccleſiæ doctrina, cui bellum indixere Novatores, tria maxime docentes: I. Opera etiam juſti non eſſe bona, ſed vere coram Deo peccata, quamvis ea prædeſtinatis & juſtis non imputentur ad pœnam. II. Nullam eſſe operum bonorum ad ſalutem neceſſitatem. III. Per ea hominem nihil apud Deum mereri. Hoc ergo capite eorum refellenda falſiſſima dogmata, & §. I. de operum bonitate. §. II. de eorum neceſſitate, Capite autem ſequente de eorum merito pertractandum.

§. I.

De Operum Bonitate.

162 DE justo hic præcipue loquimur; nam etiam impium & infidelem opera naturalia moraliter bona, aut cum gratia etiam supernaturalia elicere posse, Tom. VI. Cap. III. §. I. de gratia actuali jam præoccupatum fuit. Negant id tamen hujus temporis hæretici, ex erroneo principio semel imbibito. Quum enim peccatum originale per baptismum non tolli, sed tantum tegi vel radi, & ipsam concupiscentiam habitualem, ejusque motus indeliberatos formaliter peccaminosa esse asserant, inde deducunt, omnia etiam justorum opera hac concupiscentiæ lue ita infici & depravari, ut in se vere peccata sint: hac quidem distinctione ab ipsis adhibita, ut ea in prædestinatis & justis, quamvis mortalia in se ipsis sint, ad mortem tamen, seu pœnam æternam a Deo non imputentur, & sic *venialia* efficiantur: in reprobis vero & impiis omnia ad æternam damnationem imputentur. Itaque adulteria, sacrilegia &c. Fidelium & prædestinatorum, nonnisi venialia, econtra orationes & eleemosynæ &c. infidelium & reproborum, mortalia peccata sunt ex mente Lutheri & Calvini. Et inde deducunt, impossibile esse, divina implere præcepta. Nec mirum; cum utique

per

per peccata præceptis ſatisfieri non poſſit; Ex quo etiam facile ſequitur, nec dari opera bona, nec ad ſalutem neceſſaria eſſe, nec ullum præmium iis deberi. His errorum monſtris e diametro oppoſita eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina, ad cujus mentem ſtatuitur

Resolutio. Opera bona juſtorum non 163
ſunt peccata, ſed vere bona, Deoque placentia. Eſt de Fide.

Probatur I. ex S.Scriptura, quæ opera juſtorum Deo grata eſſe ſæpiſſime teſtatur: ſed non poſſunt Deo placere peccata: *ergo. Prob. minor* Geneſ. IV. *Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera ejus*: id eſt; ut Chrysostomus homilia 18. in Geneſ. notat, *grata hæc habuit & laudavit.* Ergo ſacrificium Abelis fuit opus bonum, Deo bene placens. De Jobo dicitur Cap. I. *In omnibus his non peccavit Job labiis ſuis, nec ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt.* Et Cap. 2. ait Deus ad Sathanam: *Numquid conſideraſti ſervum meum Job, quod non ſit ſimilis ei in terra, vir ſimplex & rectus, & recedens a malo & adhuc retinens innocentiam.* De Magdalena dicitur Matth. 26. *Bonum opus operata eſt in me,* Paulus I. ad Corinth. III. *Si quis ſuperædificat ſupra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fænum, ſtipulam, uniuscujusque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit,*

quod superædificavit, *mercedem accipiet* &c. Quo textu insinuatur, quædam opera, ex fide & charitate elicita, ita esse perfecta, ut nulla ignis purgatione indigeant. Divus PETRUS Epist. 2. Cap. 1. hortatur: *Fratres satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* JACOBUS Cap. 3. ait: IN MULTIS *offendimus omnes.* Si vero omnia opera forent peccata, debuisset dicere IN OMNIBUS offendimus omnes.

164 PROB. II. ex S. Patribus, qui una cum SS. Litteris Christianos omnes ad operum bonorum exercitium incessanter hortantur, atque vel hoc pacto demonstrant, ea non esse peccata. D. HIERONYMUS expresse testatur, posse hominem aliquanto tempore non peccare: non potest autem ullo tempore ab omni actione desistere: ergo hoc ipso non omnis actio est peccaminosa. Sic quoque ruit præcipuum Protestantium fundamentum. Sic vero ait lib. 5. contra Pelag. „ Hoc & nos dicimus, posse hominem non „ peccare, si velit, pro tempore, pro „ loco &c. „

S. AUGUSTINUS toto lib. de fide & operibus, operum quorumdam bonitatem & necessitatem demonstrat. Item de bono conjugali Cap. 7. „ Continentia meriti est amplioris: reddere debitum conjugi, nullius „ est criminis: exigere ultra generandi ne-

„ cessi-

„ cessitatem, culpæ venialis: fornicari aut „ mæchari, puniendi criminis. „ Sed juxta Lutheranos nulla horum operum foret distinctio, sed omnia æque peccaminosa. Omitto innumeros alios SS. PP. textus, & solum profero Concilium TRIDENTINUM, quod Sess. VI. Can. 25. definit: „ Si quis in „ quolibet bono opere justum saltem ve- „ nialiter peccare dixerit, aut quod into- „ lerabilius est, mortaliter, atque ideo „ pœnas æternas mereri, & tamen ob id „ non damnari, quia Deus ea opera non im- „ putet ad damnationem, anathema sit. „

PROB. ratione multiplici. I. Justa & 165
bona est præceptorum divinorum observatio; si enim peccaminosa foret, non posset a Deo imponi: atqui homo per gratiam præcepta adimplere potest: ergo bene operari potest. *Minorem* quidem negant Protestantes, sed invita scriptura & ratione; Quod etiam exemplo ZACHARIÆ & ELISABETHÆ demonstratur, de quibus S. LUCAS Evangelista Cap. 1. *Erant justi ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini.* Deus enim impossibilia præcipere non potest; præcepit autem mandata servari Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Hæc autem verba a Christo per ironiam fuisse prolata, LUTHERI blasphemia est. Dein si præceptum nullum observari potest, tunc nec præceptum fidei, suscipiendi baptismi, aut alte-

alterius Sacramenti: ergo Lutherani & ceteri, nec credere nec baptizari poſſunt, aut credendo & baptiſmum ſuſcipiendo peccant: quumque ſola fide ſe juſtificari credant, per actus vere peccaminoſos ſe juſtificari aſſerere debent: quo quid abſurdius cogitari poſſit, non video. Si autem actum fidei dicant non eſſe peccatum: ſcire velim, cur hic ſolus non inficiatur concupiſcentia, qua omnes alios actus & opera infecta eſſe conſtanter mentiuntur?

166 II. Si opera bona ſunt peccata, tunc aliquis ita ratiocinari poteſt. Nullum peccatum eſt faciendum: omne opus bonum eſt peccatum, ergo nullum opus bonum eſt faciendum. Ergo nec diligendus Deus, nec proximus, non honorandi parentes &c. Item: omnia opera bona ſunt facienda: ſed omnia opera ſunt peccata, ergo omnia peccata ſunt facienda. Egregiam ſane doctrinam, Luthero Doctore dignam.

167 III. Si opera juſti per gratiam facta, forent peccata, tunc vel propter concupiſcentiam innatam, quæ ſe in ea opera inſinuaret: vel ob defectum charitatis intenſioris: vel ob admixtionem peccati venialis. Sed nullo horum opera juſtorum vitiantur: *ergo*. *Prob. minor* quoad I. Concupiſcentia *habitualis* & motus primi involuntarii, qui rationem præveniunt, & ſine voluntatis conſenſu exſurgunt, non ſunt pec-

peccata, ut docet AUGUSTINUS, imo Fides Catholica, prout ſuppono ex tractatu de peccatis. Repugnat enim, aliquod eſſe peccatum, quod non ſit voluntarium. *Prob. minor* quoad II. Defectus intenſioris charitatis, quod nempe viatores opera noſtra non eo fervore operemur, quo Beati in Patria, eſt quidem defectus, ſed tamen non eſt peccatum; cum non ſit charitatis *privatio*, ſed fervoris & intenſionis abſentia, ſeu *negatio*. Ipſa autem charitas, etiamſi reſpectu illius Beatorum ſit imperfecta, id eſt, non adeo perfecta, eſt tamen abſolute & quoad ſubſtantiam *perfecta*.

OBJIC. I. S. Scriptura teſtatur, omnia opera etiam Juſti eſſe peccata. Eccle. VII. 21. *Non eſt homo juſtus, qui faciat bonum, & non peccet.*

II. Iſaias LXIV. 6. totius populi electi nomine ait: *Facti ſumus ut immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ.*

III. Idem affirmat David Pſalm. XIII. 1. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt, qui faciat bonum, non eſt usque ad unum.*

RESP. ad I. *Diſt.* Non eſt juſtus, qui 168
ſemper & omni actu faciat bonum, & *nunquam*, ſaltem venialiter, peccet; ut enim dicitur Prov. XXIV. 16. *Septies*, id eſt, ſæpe, *cadet juſtus, & reſurget. Conc.* non eſt

eſt juſtus, qui *nunquam* faciat bonum, & *ſemper* peccet. *neg.*

Resp. ad II. Iſaias non loquitur de operibus bonis juſtorum, ſed in perſona urbis Jeruſalem, quæ ob ſcelera ſua in manus hoſtium ſuorum erat tradenda. Quod autem in perſona peccatorum loquatur, patet ex ipſo loco allegato, ubi ait: *Ecce, tu iratus es, & peccavimus. Non eſt, qui invocet nomen tuum, non eſt, qui conſurgat & teneat &c.*

Resp. II. Ex mente S. Hieronymi loquitur Isaias de ſacrificiis, ceremoniis, & operibus legis exterioribus, quibus Judæi, idololatræ, & impœnitentes peccatores Deum placari poſſe arbitrabantur. Hæc autem omnia erant impura; quia non ex vero Dei timore, non ex corde contrito procedebant. De his ſacrificiis dixit Deus apud eundem Iſaiam Cap. I. *Incenſum abominatio eſt mihi. . . Sabbata & feſtivitates alias non feram.* In quibus tanquam juſtitiis legalibus confidebant Judæi. Id autem, quod Iſaias *generaliter* dicit, omnes eſſe immundos, univerſas juſtitias eſſe corruptas, in ſenſu accommodo accipi debet, quomodo Scriptura dicit Gen. VI. *Omnis caro corruperat viam ſuam*: cum tamen Noe ut *Vir juſtus* commendetur. Eſt ergo utrobique ſermo de multitudine populi, ubi major erat impiorum, quam juſtorum numerus.

Objic.

Objic. II. S. Augustinus Lib.IX. Con- 169
feſſ. cap. 13. exclamat: „ Væ etiam lauda-
„ bili vitæ hominum, ſi remota miſericor-
„ dia diſcutias eam. „

II. S.Gregorius M. Lib. IX. Moralium cap. 14. exponens illa verba Jobi: *Si habuero quidpiam juſti, non reſpondebo, ſed meum Judicem deprecabor*, ita ſcribit: „ Omnis humana juſtitia injuſtitia eſſe con-
„ vincitur, ſi diſtricte judicetur. Prece er-
„ go poſt juſtitiam indiget, ut quæ ſuc-
„ cumbere diſcuſſa poterat, ex ſola Judicis
„ pietate convaleſat. „

Resp. ad I. S. Augustinus aliique Patres non loquuntur de quolibet opere individuo, ſed de integra hominis vita, quæ utique peccatis ſaltem venialibus, ſecluſo ſingulari privilegio, non vacat.

Resp. ad II. S. Gregorius vult, quod opera noſtra, naturæ viribus ſine gratia facta, ad ſalutem nihil contribuant: Vel, quod illa etiam per vires gratiæ exercita aliquando majore illa perfectione careant, quam habere poterant, e. g. quod actus charitatis magis potuerit eſſe flagrans, intenſus, aut diutius continuari: Ideoque ad humilitatem hortatur, ne in operibus bonis extollamur, & ut noſtræ infirmitatis conſcii per orationem ad divinum auxilium confugiamus.

Objic.

170 OBJIC. III. S. BERNARDUS ſerm. 5. de verbis Iſaiæ. „ Noſtra, inquit, ſi qua eſt „ humilis juſtitia, recta forſan, ſed non „ pura: niſi forte meliores nos eſſe credimus, quam Patres noſtros, qui non minus veraciter quam humiliter dicebant: „ omnes juſtitiæ noſtræ tanquam pannus „ menſtruatæ mulieris. Quomodo enim „ pura juſtitia, ubi non poteſt adhuc culpa „ deeſſe. „

RESP. S. Bernardus ibidem diſtinguit triplicem juſtitiam, unam dicit eſſe *rectam*, ſed *non puram*, nec *firmam*. Alteram *rectam & puram*, ſed non *firmam*. Tertiam *rectam, puram & firmam*. *Rectam* eſſe ait, quando peccato non conſentitur; ſic enim loquitur: „ *Recta* proinde interim videri poteſt juſti„ tia hominum, ſi tamen peccato non con„ ſentiant. „ *Puram* autem vocat, quæ eſt in illis, qui nunquam fuerunt injuſti. *Firmam* denique, quæ amitti non poteſt. In Angelis bonis ponit juſtitiam *rectam*, *puram & firmam*. In primis noſtris parentibus ante peccatum dicit fuiſſe juſtitiam *rectam & puram*, ſed non *firmam*; quia peccato amiſſam. In nobis poſſe eſſe *rectam*, ſi peccato non conſentiamus, ſed *nec puram*; quia quisque noſtrum ſaltem in Adamo peccavit: *nec firmam*; quia poſſumus eam amittere. Sufficit ergo, quod contra Proteſtantes affirmet, poſſe in nobis eſſe juſtitiam *rectam*, a peccato ſaltem mortali immunem: quod ipſi negant.

§. II.

De operum bonorum necessitate.

NEgant Protestantes operum bonorum 171
necessitatem, eo sensu, quo eam Catholica requirit Ecclesia; fides enim nostra ita bona requirit opera, ut per ea ad justificationem disponamur, salutemque *efficienter* promereamur. Contra illi, etsi opera bona necessaria esse quandoque fateantur, de sola tamen necessitate præsentiæ intelligendi sunt hoc sensu, quod opera adesse debeant; quia alias fides non esset viva & integra nec vera, nisi bonos fructus faceret: minime vero quasi ea ad justitiam & vitam æternam quidquam contribuerent. Ita quidem illi. Sed si illorum excutiantur principia, clare inde deducitur, eos omnimodam operum necessitatem negare. Nam I. ex mente Lutheri *bona opera non faciunt bonum virum, nec malum mala*, ut loquitur lib. de libert. Christiana. Ut quid ergo bene operari necessum sit, cum sola incredulitas noceat? II. Docent, omnia justorum opera esse peccata mortalia. III. Ex falso principio libertatis Evangelicæ statuunt, quod per Evangelium justi seu fideles, facti sint liberi & immunes ab observatione mandatorum, sintque omnia opera nec præcepta nec prohibita, sed prorsus indifferentia. Insuper Christum solum ut redemptorem; non vero ut legislatorem agnoscunt. Imo IV. impossi-

bile esse docent observare præcepta, nec ea posita esse justis, sed injustis. V. Quidam ex rigidis Lutheranis docere non verentur, opera bona saluti impedimento & nociva esse. Ita enim ajebant in colloquio Alteburg. adeo non esse necessaria bona opera, ut etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa. Item: precari oportere, ut in fide sine omnibus operibus bonis usque in finem perseveremus. P. Canisius lib. I. de corruptel. Verb. Dei. c. 10.

172 Equidem hodiernos Lutheranos prioris asserti jam pudet, & operum bonorum necessitatem modo propugnant, diversa tamen ratione. In eo omnes conveniunt, opera ad justificationem nihil contribuere, quippe quam soli adscribunt fidei, illa tamen in actu justificationis præsentia esse debere, fatetur illustris Moshemius Element. Theolog. dogmat. pag. 829. Alii ab eadem prorsus excludunt, & nonnisi post justificationem, ad renovationem, seu sanctificationem necessaria esse docent. Ita D. Ernestus Schubert in Instit. Theol. dogm. §. 363. ubi e multiplici titulo istam necessitatem derivat, cujus verba hic subjiciam, ceu quoddam veterum, recentiorumque Lutheranorum discordiæ specimen. „ Bona opera „ necessaria sunt, ait, I. ut fructus & effectus „ fidei inseparabiles. II. Sunt etiam necessa-„ ria, quia Deus præcepit, ut faciamus ea. „ Rom. III. 6. VI. 26. 1. Thess. IV. 7. Tit. II. „ 12. 2. Cor. V. 15. Joan. XIII. 34. 1. Joan.

IV. 21.

„ IV. 21. Rom. XIII. 8. Rom. II. 9. VIII.
„ 13, Quod olim Lutherus negaverat.
III. Ut Deus per illa celebretur. Math.
„ V. 16. 1. Cor. X. 31. 1. Petr. II. 12.
„ IV. Sunt neceſſaria tanquam realis, &
„ publica fidei profeſſio. Math. X. 22. 33.
„ Rom. X. 9. 10.
„ V. Ut Deo gratitudinem noſtram pro
„ tot beneficiis nobis exhibitis declaremus.
„ Rom. XII. 1. 2.
„ VI. Ne male operando nomen Dei &
„ religio noſtra diffametur. Rom. II. 17. 23.
„ 24. 1. Pet. III. 15. 16.
„ VII. Ne per peccata fide & gratia
„ Dei excidamus. 1. Cor. VI. 29. Eph.
„ IV. 30.
„ VIII. Ut bonam & tranquillam con-
„ ſcientiam conſervemus. Act. XXIV. 16.
„ 1. Tim. I. 18. 19.
„ IX. Ne in judicium condemnationis
„ incurramus. Math. III. 20. Rom. VIII.
„ 13. 1. Cor. VI. 9. 10.
„ X. Ut ſpes noſtra æternæ vitæ eo fir-
„ mior reddatur. 1. Petr. I. 3. 4. 2. Petr. I. 10.
„ XI. Denique & bona opera neceſſaria
„ ſunt, quia illis & in hac, & NB. in
„ futura vita præmia promiſſa ſunt. Prov.
„ XIII. 21. 22. Iſai. III. 10. 1. Tim. IV. 8.
„ Math. XIX. 29. Rom. II. 6. Apoc. XIV.
„ 13. „ Igitur & meritoria ſunt vitæ æter-
næ, quod olim pertinaciter negabant. Qua-
re contra veteres ſaltem Lutheranos, &
hodiernos rigidiores ſtatuitur

173 Resolutio. Observatio mandatorum per gratiam possibilis, & ad salutem necessaria est. *De fide.*

Prob. I. pars de possibili observatione mandatorum I. ex S. scriptura. Christus ipse de sua lege dicebat Math. XI. 30. *Jugum meum suave est, & onus leve.* Et Joannes I. Epist. V. 3. *mandata ejus gravia non sunt.* II. Possibile est, ut homo Deum diligat & proximum: sed *qui diligit, legem implevit*, ut ait Apostolus ad Rom. XIII. 8. item ad Galat. V. 14. *Omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ergo possibilis est observantia legis. *Prob. minor.* Scriptura Deut. XXX. prædicit: In novo testamento tam abundantem futuram esse gratiam, ut Deus sit diligendus ex toto corde: sic enim ait: *circumcidet Dominus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas Dominum Deum ex toto corde tuo, & in tota anima tua.* Imo de quibusdam testatur, fuisse eos in legis observantia & charitate perfectos. Sic de Noë Gen. VI. *Noë vir justus atque perfectus coram Deo ambulavit.* De Davide III. Regum XIV. *Qui custodivit mandata mea & sequutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo.* Et cap. XV. *Eoquod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinavisset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ.*

Item

Item de Joſue. Joſ. CXI. de Apoſtolis dixit ipſe CHRISTUS Joan. XVII. *Tui erant & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt.*

PROB. II. ex traditione. Concil. ARAUSI- 174
CANUM II. can. ult. „ Hoc etiam ſecundum „ fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia omnes Baptizati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, „ adimplere. „

S. BASILIUS orat. in illud: *Attende tibi,* „ Impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe ſpiritus præcepta. „

JOANNES CHRYSOSTOMUS homil. 8. de pœnitent. „ Nequaquam Dominum accuſes; „ haud mandat impoſſibilia: multi & ipſa „ ſuperant præcepta „ id eſt, per opera ſupererogatoria, & conſilia Evangelica.

S. HIERONYMUS comment. ad cap. 5. Math. „ Multi præcepta Dei ſua imbecillitate metientes, putant eſſe impoſſibillia, quæ „ præcepta ſunt. Sed ſciendum, Chriſtum „ non impoſſibilia præcipere, ſed perfecta. „ Omitto plurimos textus D. AUGUSTINI, utpote Tom. VI. de gratia paſſim commemoratos.

175 PROB. Ratione I. Si præcepta essent impossibilia, neminem obligarent, & sic eo ipso non essent præcepta; quia ad impossibile nemo tenetur. II. Si justus præcepta non potest implere, tunc prævaricando non peccat; quia juxta Augustinum nemo peccat in eo, quod vitari nullo modo potest: atqui justus in omni opere, & quidem *mortaliter* peccat juxta Lutheranos. *ergo &c.* III. Si non potest implere præceptum, tunc necessario peccat, imo hoc ipso non peccat, quia peccatum debet esse voluntarium, ut suppono ex tractatu de peccatis. *ergo.* IV. Deus foret omni tyranno crudelior, si hominem ad id obligaret, quod sciret, ab eo præstari non posse. V. Si legem implere nullus potest, tunc etiam nullus potest credere, nullus baptizari, sicque nemo potest justificari, nemo salvari. Ergo ex propriis eorum principiis damnantur omnes Lutheri, Calvini, cæterique sectarii. VI. Justificati, testante sæpissime sacra Scriptura, sunt ex Deo nati: sed *qui natus est ex Deo, non peccat, nec potest peccare, quia ex Deo natus est*, ut ait Joan. Epist. I. Cap. III. ergo justus non peccat: sed qui non peccat, non transgreditur legem; qui non transgreditur, legem implet. ergo &c.

176 PROB. II. pars, observantiam præceptorum, seu opera bona necessaria esse, I. ex sacra scriptura. Hæc testatur, justificatio-

ficationem & ſalutem eſſe nobis *conditionate* promiſſam, ſi nimirum obſervemus mandata: ergo horum obſervantia neceſſaria eſt. *Prob. Ant.* Chriſtus Math. 19. ait: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Item Luc. X. 25. cuidam interroganti: *quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* reſpondit: *Diliges Dominum Deum &c. hoc fac, & vives.*

Reſpondet quidem LUTHERUS & ceteri, Chriſtum hoc per ironiam dixiſſe, eo ſenſu, ſerva mandata, hoc fac &c. *ſi potes.* Sed quam falſa ſit iſta interpretatio, imo corruptio, vel ex eo patet, quia nec unus quidem SS. Patrum aut interpretum ad uſque Lutheri tempora illo perverſo ſenſu hæc ſcripturæ loca explicavit.

Prob. II. Promiſſiones Evangelicas 177
eſſe conditionatas. Ezech. XVIII. *ſi impius averterit ſe ab impietate ſua & fecerit judicium, & juſtitiam, vita vivet.* Rom. VIII. *ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Marci ult. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur &c.* Ad Hebræos X. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut facientes voluntatem Dei reportetis promiſſionem.* Rom. VIII. *ſi tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Legantur integræ epiſtolæ PETRI, JACOBI, JOANNIS & JUDÆ, quæ operum bonorum & obſervantiæ mandatorum

torum necessitatem ex instituto demonstrant.

Denique ex forma extremi Judicii eadem patet necessitas. Dicet enim CHRISTUS ad electos Matth. XXV. *Venite benedicti &c. possidete paratum vobis regnum, esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.*

178 PROB. III. ex traditione. Novatorum error inter hæreticas fabulas numeratur a „ THEODORETO. Hæret. fabul. l. I. c. I. de „ Simone Mago disserens: Jubebat Simon „ suos legis minas non pertimescere, sed „ tanquam liberos facere, quæ vellent: „ non enim per bonas actiones, sed per „ gratiam eos salutem esse consequuturos. „ Iisdem verbis suos instruxit LUTHERUS. Eundem errorem damnat AUGUSTINUS in Eunomio lib. de Hæresi. c. 54. „ fertur, „ ait, usque adeo fuisse bonis moribus ini- „ micus, ut asseveraret, quod nihil cui- „ quam obesset quorumlibet perpetratio „ & perseverantia peccatorum, si hujus, „ quæ ab illo docebatur, fidei particeps „ esset. „ Prætereo alios Patres, quorum textus facile apud authores Polemicos reperire est, & solum allego S. JOANNEM CHRYSOSTOMUM, qui homil. 30. in Joan. tractans illud: *qui credit in filium, habet vitam æternam*, ita scribit: „ Numquid „ ergo satis est ad vitam æternam in fili- „ um credere? minime. Non enim om-

„ nis,

„ nis, qui dicit mihi, Domine Domine,
„ intrabit in regnum cœlorum. Et pec-
„ catum in Spiritu sancto vel solum est sa-
„ tis, ut hominem in gehennam detru-
„ dat. Et quid de Patre loquor? nam
„ si in Patrem & Filium & Spiritum S.
„ recte credideris, non autem recte vi-
„ xeris, nulla tibi ad salutem utilitas.
„ Cum ergo dicit: ipsa est vita æterna,
„ ut agnoscant te solum Deum verum,
„ nolimus hoc nobis ad salutem satis ar-
„ bitrari; opus namque nobis est & vi-
„ tæ & morum probitate pollere. Et li-
„ cet hoc in loco dicat, *qui credit in fili-*
„ *um, habet vitam æternam: non tamen*
„ *dicimus satis esse solam fidem ad salutem,*
„ *quod, quæ de vita sæpe in Evangeliis*
„ *dicuntur, ostendit.* „.

PROB. Ratione. Lex moralis V. T. de- 179
bebat observari a Judæis: ergo etiam a Christianis. *Prob. Cons.* Ea non est per Christum abrogata, sed & suis discipulis, ut eam servarent, præcepta; passim enim Christus in Evangelio provocat, & suos ablegat ad Decalogum. Sed & Apostoli Decalogi observantiam millies in suis Epistolis inculcarunt. CHRISTUS de se ipso ait Math. V. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem: non veni solvere sed adimplere.* PAULUS ad Rom. III. *Quid ergo? legem destruimus per fidem? absit: legem statuimus.*

 II. Præ-

II. Præcepta Decalogi seu moralia T. V. non sunt juris Divini, sed & naturalis: atqui Christus non abrogavit jus naturæ, sed perfectius explicuit: *ergo &c.*

III. Christus non solum est Rex, Redemptor, sed & Legislator noster, prout passim scriptura testatur. Isaias enim c. 33. de eo vaticinatus est: *Dominus judex noster, Dominus legifer noster &c.* Michæ. IV. *De Sion exibit lex & Verbum Domini de Jerusalem.* Ipse CHRISTUS se legislatorem esse disserte professus est; nova enim quædam mandata suis discipulis dedit: uti est suscipiendi baptismi Joan. III. sumendæ Eucharistiæ Joan. VI. *nisi manducaveritis &c. non habebitis vitam in vobis.* Prohibuit libellum repudii quondam permissum: de quo ait PAULUS I. Cor. VII. *His, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere &c.* præceptum dilectionis Joan. XV. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Dilectionem etiam inimicorum, de qua ait Math. V. *Audistis, quia dictum est antiquis:* diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: EGO AUTEM DICO VOBIS, *diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos &c.* Si ergo Christus est legislator: debet habere potestatem obligandi suos subditos, & hoc ipso Christiani ejus præcepta servare tenentur.

IV. Fi-

IV. Fidelis & juſtus transgrediendo præcepta Decalogi vel peccat, vel non peccat? ſi peccat: ergo non fuit liber ab obſervatione præcepti; peccatum enim nullibi dari poteſt niſi ubi eſt transgreſſio legis: ſi vero non peccat: ergo falſa eſt Lutheranorum doctrina, qua dicunt, omnia, etiam juſtorum opera, eſſe peccata mortalia. Item dicere debebunt, nullum omnino dari peccatum, quæ eſt Libertinorum hæreſis, & ad omne ſcelus patrandum latiſſima via.

Objic. I. Actor. XV. ait Petrus: *Quid* 180
tentatis imponere jugum ſuper cervices Diſcipulorum, quod nec nos nec Patres noſtri portare potuimus? ſed per gratiam Domini noſtri JESU Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi. Quem textum Calvinus & Kemnitius intelligendum eſſe volunt de impoſſibilitate ſervandi præcepta, tam ceremonialia, quam etiam moralia T. V. ſic enim ratiocinantur: ſolæ ceremoniæ non ſuperant vires humanas: ergo junctæ cum legibus moralibus faciunt impoſſibilitatem. II. Ceremonialia ſervari nequeunt: ergo multo minus moralia. III. Gratia opponitur legi ſimpliciter: ergo etiam morali. Conſequenter Chriſtiani per gratiam Evangelicam ſunt immunes a lege.

Resp. ad hunc textum, eum manifeſte loqui de præceptis ſolum *ceremonialibus.* Erant

Erant enim quidam ex Discipulis, qui volebant, legem Moysis Christianæ jungi, & simul observari debere, sicque cogebant gentes judaizare. Hac occasione celebrarunt Apostoli Hierosolymis concilium, hocque sanxerunt decretum: „ *Visum est* „ *Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere* „ *vobis oneris, quam hæc necessaria, ut ab-* „ *stineatis vos ab immolatis simulacrorum, a sanguine, suffocato, & fornicatione.* Quæro, an ista sola sint necessaria ex lege ceremoniali: vel ex *omni lege* simpliciter, ut præter hic enumerata nihil amplius observari debeat? si solum de lege ceremoniali: habemus intentum, nempe objectum textum non loqui de præceptis moralibus. Si ex *omni lege* simpliciter? sequitur ingens absurdum, nempe Christianos non esse obligatos, ut abstineant a cultu idolorum, a furto, homicidio &c. ad suscipiendum baptismum, Eucharistiam, ad fidem &c.

Ad ratiunculam I. *Dist.* ceremoniæ non superant vires humanas, *absolute*, & ideo etiam ab aliquibus fuerunt observatæ v. g. Zacharia, Elisabeth &c. *conc.* non superant *moraliter. neg.* Ob nimiam enim multitudinem moraliter fuit impossibile observare omnes, præsertim tunc temporis, ubi non dabantur tam copiosæ gratiæ, sicut modo.

Ad II. *Dist.* Lex ceremonialis non potuit observari conjuncta cum morali, & hoc

hoc *moraliter* ; id eſt, *difficulter conc.* ſe ſola. *neg.* Lex vetus dicitur inſupportabilis, id eſt, nonniſi cum maxima & viribus naturæ inſuperabili difficultate : non vero abſolute.

Ad III. Gratia opponitur legi ſimpliciter, hoc ſenſu : non debet onus ceremoniarum imponi Chriſtianis, quod fuit importabile Patribus Hebræis, & quæ in lege nova ad juſtificationem nihil amplius proſunt, utpote quam ſine iis habemus per gratiam JESU Chriſti.

Objic. II. Rom. VII. *Velle adja-* 181
cet mihi, perficere autem non invenio. Ergo nec Paulus poterat legem ſervare. II. I. Joan. I. *ſi dexerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* III. Mandatum dilectionis Dei, & illud : *non concupiſces*, impleri in hac vita non poſſunt : ergo nec reliqua præcepta.

Respond. ad I. S. Paulum loqui de motibus *indeliberatis* concupiſcentiæ, quos homo impedire non poteſt, quin exurgant : cum vero hoc non ſit in hominis poteſtate, ſufficit ad implendum præceptum, ſi eis non conſentiat.

Respond. ad II. Intelligendus eſt de peccatis venialibus, ſine quibus etiam juſto, niſi privilegio extraordinario munitus ſit, hæc vita non ducitur.

Resp.

Respond. ad III. *Dist.* Non potest impleri præceptum dilectionis eo modo, ut tanta perfectione diligatur Deus, quæ in homine viatore non posset crescere, prout docebant Beguardi & Beguinæ. *conc.* quoad substantiam. *nego.* De concupiscentia Dico, motus indeliberatos, quos homo sine consensu sentit, non prohiberi præcepto: *non concupisces.* Dum vero Augustinus ait, non posse in hac vita impleri hoc præceptum, vult, hominem non posse impedire, ne quandoque patiatur tales motus, quamdiu mortali hoc corpore circumdatus est. Potest vero illud implere quoad omne id, quod habet rationem peccati formalis.

182 Objic. contra II. partem. Fideles, maxime justi, per gratiam Evangelii asserti sunt in libertatem, & immunes facti a lege: ergo non tenentur observare mandata. *Prob. antec.* variis textibus scripturæ. I. Apostolus Gal. V. hortatur: *Nolite iterum jugo servitutis contineri; vos enim in libertatem vocati estis fratres.*

II. Rom. VI. *Non estis sub lege, sed sub gratia.*

III. I. Timoth. I. 9. *lex justo non est posita, sed injustis & non subditis.*

Resp. I.

Resp. I. Libertas Evangelica non consistit in immunitate a lege & præcepto, ut falso sibi persuadent Protestantes; sed in hoc, I. quod per Christum simus liberati a peccato & morte. II. A jugo legis ceremonialis & judicialis. III. A Dominio legis naturalis & moralis. Hoc sensu, quod præcepta ista non imponantur nobis ut servis continua interminatione metus & pœnæ, sed ea nos obligent ut filios, & non metu pœnæ, sed amore filiali a nobis implenda sint. De prima libertate loquitur Paulus Rom. VI. *cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo.* De II. scribit ad Galat. IV. *Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis.* Et c. V. *State & nolite iterum jugo servitutis contineri &c.* De III. ait ad Rom. VIII. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum &c.* & Augustinus lib. de continentia c. 3. „ Non „ sumus sub lege, bonum quidem juben„ te, non tamen dante: sed sumus sub „ gratia, quæ id, quod lex jubet, faci„ ens nos amare, potest liberis imperare. „ Itaque

Resp. ad I. textum, Paulum loqui de II. libertate a jugo legis ceremonialis & judicialis, quod quidam inter Galatas Pseudoapostoli Christianis volebant imponere.

Resp.

Resp. ad II. Intelligendum esse de libertate tertia.

Ad III. Respondet S. Ambrosius lib. 3. offic. c. 5. „ Lex non est justo posita, „ sed injusto ; quia justus habet legem „ mentis suæ , æquitatis ac justitiæ suæ „ normam : ideoque non timore pœnæ „ revocatur a culpa , sed honestatis regu„ la. „ Agnovit hoc quoque Poëta, dum cecinit : Odere peccare boni virtutis amore.

CAPUT V.

De operum bonorum merito.

183 Ne nomen quidem *meriti* in S. Scriptura inveniri , calumniatur Calvinus : sed immerito ; pluribus enim locis illud expresse reperitur. Nam Eccli. XVI. 15. *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Ad Hebr. XIII. 16. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus.* Ubi verbum *promereri* a latino interprete sumitur passive. Nomen quoque *mercedis* frequenter occurrit. Math. V. *Merces vestra copiosa est in cælis.* 1. Corinth. III. *Unusquisque propriam mercedem accipiet &c. &c.* Sed & antiquissimi Ecclesiæ Patres hac voce non raro utuntur. Auctor sub nomine Cypriani de præceptis

Ecclesiæ

Ecclesiæ ait: „ Præceptis obtemperandum „ est, ut accipiant merita nostra mercedem. „ Et AMBROSIUS Lib. I. de Offic. C. 15. *Meritorum præmia remanent post mortem.* Est autem opus meritorum prout communiter a Theologis definitur, *actus bonus, in obsequium præmiantis elicitus*: seu ut definit P. BERTI. Meritum est operum bonorum, quæ sunt ex gratia, quædam dignitas aut præstantia, ob quam illis sive ex decentia, sive ex justitia rependitur aliquod præmium pertinens ad vitam æternam. Quamvis vero etiam improbi & gratia sanctificante privati bona temporalia, non vero vitam æternam mereri valeant, hæc ipsa tamen bona temporalia ad æternam beatitudinem ordinari possunt, ut si quis divitias promereatur, quibus utitur ad eleemosynas, iisque accedente actuali gratia paulatim ad justificationem disponatur. Ista vero meriti explicatio amplius patebit ex sequentibus, ubi de conditionibus agam ad merendum requisitis.

Meritum a Theologis dividitur in illud, 184
quod est *de condigno*, & aliud *de congruo*, quibus terminis jam seculo XIII. anno 1240. usus legitur Guilielmus Avernus, duobus seculis Luthero & Calvino prior. Meritum *de condigno* est opus, quod tantam habet cum mercede proportionem, ut ea eidem ex justitia debeatur: quamvis ipsa dignitas operis a præmiante proveniat. Ita homo

justus ex gratia sanctificante, quam quidem a Deo habet, constitutus de condigno meretur vitam æternam, ut mox videbimus. De tali merito condigno videtur loqui S. Scriptura Matth. X. *Dignus est operarius mercede sua.*

Meritum *de congruo* est, cui ex nulla condignitate operis, neque ex pacto, neque ex justitia, sed ex sola decentia & congrua convenientia præmium confertur. Exemplum utriusque meriti est in milite, qui præ aliis fortiter pro patria dimicavit: illi enim stipendium stipulatum de condigno & ex justitia debetur: ulterior vero promotio, favor & gratia Principis ex decentia seu de congruo ut conferatur, conveniens est.

Hoc ergo capite pluribus §§. pertractandum est. I. De operum condignitate ad meritum vitæ æternæ. II. De falsis conditionibus a Protestantibus ad meritum requisitis. III. De veris conditionibus secundum Catholicos necessariis, & quidem ex parte ipsius operis. IV. De necessitate opus per charitatem in Deum referendi. V. De conditionibus ex parte personæ requisitis. VI. De conditione ex parte Dei præsupposita, hoc est, gratuita promissione. VII. De objecto merito, an quis sibi vel alteri primam gratiam mereri valeat. VIII. An justus mereri possit reparationem post lapsum, & donum perseverantiæ.

§. I.

De operum condignitate ad meritum vitæ æternæ.

NOſtri temporis Proteſtantes, etſi quandoque fateantur, opera bona Juſtorum placere Deo, & eſſe meritoria præmiorum, ut loquitur Confeſſio Auguſt. & ejus apologia artic. 20. omnes tamen negant, iis vitam æternam de condigno deberi, potiusque nomine *meriti* abſtinendum eſſe putant. Igitur bona opera meritoria eſſe præmiorum temporalium & ſpiritualium in hac & futura vita, non tamen ipſius vitæ & ſalutis æternæ, idque non ex propria operum dignitate, quaſi revera juſta ſint, & legi ſatisfaciant, ſed ex indulgentia Dei & fide, qua credunt, ſibi eſſe remiſſa peccata, & per merita Chriſti tecta, ſicque a Deo acceptari, quaſi juſta forent. Timent enim, ne injuria fiat meritis & ſatisfactioni Chriſti, ſi noſtra quoque merita prædicentur. Sed contra eos cum communi Catholicorum ſtatuitur 185

Resolutio. Bona Juſtorum opera ſunt de condigno meritoria vitæ æternæ. Ita fere Trident. Concil. ſeſſ. 6. de juſt. Can. 32. 186
„ Si quis dixerit, hominis juſtificati bona
„ opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam
„ bona ipſius juſtificati merita, aut ipſum

„ justificatum bonis operibus, quæ ab eo „ per Dei gratiam & JESU Christi meritum, „ cujus vivum membrum est, fiunt, non „ vere mereri augmentum gratiæ, vitam „ æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen „ in gratia decesserit, consecutionem, atque „ etiam gloriæ augmentum, anathema sit.„ Legatur etiam totum Caput 16. cit. sess. *De fructu justificationis, hoc est de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.*

Prob. I. ex S. Scriptura. Christus Matth. V. 12. dixit ad Apostolos: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis*; quæ vero sit hæc merces, paulo ante explicaverat dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Item Matth. XX. 8. *Voca operarios, & redde illis mercedem. Mercedis* autem, seu denarii diurni nomine SS. Patres Hieronymus, Augustinus, Gregorius & communiter alii intelligunt vitam æternam.

Respondent Lutherani, præmium ideo dici mercedem, non quod debeatur operibus bonis, sed quia debetur divinæ promissioni, quæ non potest esse fallibilis. Sed

187 Contra est I. Scriptura aperte dicit: redde *illis*, non vero promissioni meæ mercedem. Dein aliis locis sat clare exprimitur, mercedem dari operibus justi: nam Matth.

Matth. XVI. 27. *Venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus*: non ſecundum promiſſionem ſuam.

Contra eſt II. S. Scriptura rationem 188
allegat, cur conferatur homini gloria æterna; nempe hanc; quia juſtus bene operatus eſt: ergo merces tribuitur non promiſſioni divinæ, ſed operibus. *Prob. Antec.* Matth. XXV. Deſcribens Christus formam extremi judicii ſui, ſe locuturum prædicit ad electos: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab origine mundi: eſurivi* enim, *& dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere* &c. Ibidem: Quia *in pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, in gaudium Domini tui.*

Contra eſt III. Scriptura dicit, æqua- 189
liter tribuendam mercedem juxta opera, ſive bona, ſive mala: ſed pœna tribuitur operibus malis, & non promiſſioni: ergo etiam præmium operibus bonis. Min. patet. Nam ait Christus: *qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in reſurrectionem judicii.* Item cit. Cap. 25. *Ite maledicti in ignem æternum; eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare* &c.

Reſpondent Calviniani, nomen *merce-* 190
dis debere ſumi figurate, non proprie; nam vita æterna homini juſto conferenda ab ipſa

S. Scriptura vocatur *hæreditas*, filiis adoptivis debita, non propriis operibus parta. Sic enim ait Paulus Rom. VIII. *Si autem filii, & hæredes* &c. Sed

Contra eſt. Vita æterna non ſolum *hæreditas*, ſed etiam *merces* vocatur a S. Scriptura. Ergo utrumque nomen debet ſumi proprie, quando ita accipi poteſt citra abſurdum. Sed poteſt proprie accipi, quin ſequatur aliquid abſurdum, *ergo* &c. *Min. prob.* Poteſt hæreditas ſub conditione promitti: & ſic adultis promiſſa eſt: *Si vis ad vitam ingredi*, dicit Christus, *ſerva mandata.* Et Paulus: *ſi filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. NB. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Parvuli equidem baptizati ante uſum rationis decedentes, qui operationis perſonalis capaces non ſunt, ſolo titulo hæreditatis ut filii cœlum acquirunt: adulti vero duplici titulo, hæreditatis & mercedis, ſeu coronæ, propriis operibus illud promereri debent: quod patet ex pluribus locis S. Scripturæ, ubi vita æterna vocatur *corona* certantibus & laborantibus conferenda. Nam Jacobus Cap. I. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Apocal. II. 10. *Eſto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Item Apocal. III. 11. *Tene, quod habes, ne alius*

alius accipiat CORONAM *tuam.* I. Cor. IX. *Neſcitis, quod hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium: ſic currite, ut comprehendatis* &c.

RESPONDENT alii, dari quidem bonis 191
operibus præmia in hac & in altera vita, ſed non ipſam vitam æternam. Sed

CONTRA eſt: Huic explicationi manifeſte repugnat D. PAULUS, qui mercedem operum *coronam vitæ* & *vitam æternam* vocat. Rom. II. 7. Poſtquam enim dixerat, reddendum unicuique ſecundum opera ſua, mox addit: *his, qui ſecundum patientiam boni operis gloriam & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Item ad Gal. VI. 8. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. de Spiritu metet vitam æternam.* Item I. Timoth. IV. *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Ergo ipſa vita æterna operibus bonis promiſſa & aliquando perſeverantibus conferenda eſt. Quod autem gloriam & vitam æternam de condigno promereatur juſtus, ex multis locis patet, ubi dicitur, quod Deus ut juſtus judex, conſequenter ex juſtitia, bene operantibus vitam æternam conferat. Sic certe Paulus II. Timoth. IV. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die*

justus judex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. Et alibi passim.

192 PROB. II. ex traditione. S. IGNATIUS in epist. ad Rom. „ Sinite me, ut bestiarum „ esca sim, per quam possim Deum prome- „ reri. „

S. CÆLESTINUS I. R. P. epist. ad Episcop. Galliæ C. 12. „ Tanta est erga homines bo- „ nitas Dei, ut nostra velit esse merita, „ quæ sunt sua dona, & pro his, quæ lar- gitus est, æterna præmia sit donaturus. „

S. CHRYSOSTOMUS hom. 4. de Lazaro: „ Si justus est Deus, & his & illis reddet pro „ meritis: hic vero nullus eorum recepit, „ neque ille improbitatis pœnam, neque „ hic virtutis præmia; perspicuum est, re- „ stare tempus, in quo congruens præmium „ horum uterque ferat. „

GREGORIUS Nazianzenus Orat. 1. de amandis pauperibus. „ Crede resurrectio- „ nem, judicium, mercedem ad justam „ Dei lancem exigendam. „

S. AUGUSTINUS epist. 105. ad Sixtum: „ Nullane sunt merita justorum? sunt pla- „ ne, quia justi sunt: sed ut justi fierent, „ merita non fuerunt. . . . Sicut merito pec- „ cati tamquam stipendium redditur mors: „ ita merito justitiæ tamquam stipendium „ vita æterna. „ Et lib. de moribus Eccle.

C. 25.

C. 25. „ Vita æterna eſt totum præmium, „ cujus promiſſione gaudemus. Nec præ- „ mium poteſt præcedere merita, & prius „ homini dari, quam dignus eſt. Quid enim „ hoc eſt injuſtius, & quid juſtius Deo? „ non ergo debemus poſcere præmium, an- „ tequam mereamur accipere. Ex quibus Auguſtini & aliorum Patrum verbis efficaciter probatur, juſtum de condigno mereri vitam æternam.

PROB. III. Ratione. I. Ideo Proteſtantes 193
opera juſti negant eſſe meritoria, quia non ſunt opera vere juſta & bona, quod non ſatisfaciant legi divinæ, & hominem nequidem diſpoſitive juſtificent: ſed Capite IV. contrarium oſtendi. *Ergo.*

II. Deus non eſt minus juſtus in remunerando opera bona, quam in puniendo mala: imo potius non utitur omni rigore juſtitiæ erga damnatos: atqui mala opera juſte punit, & illa ſunt de condigno pœnæ meritoria: ergo opera bona juſte remuneratur, & hæc ſunt præmii æterni de condigno meritoria.

III. Qui conditionem, ſub qua promiſſum eſt præmium, implet, illud de condigno meretur: ſed juſtus conditionem implet; vita enim æterna ſub conditione bonorum operum promiſſa eſt; ergo de condigno meretur.

OBJIC. I. Varios ſcripturæ textus, qui- 194

bus dicitur, vitam æternam esse gratiam, & nobis sola misericordia conferri: ergo eam non meremur de condigno. *Prob. antec.* Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Ad Rom. VI. 23. *Gratia Dei vita æterna.*

II. Servus dum Domini præcepta implet, nihil per hoc meretur, quia facit, quod debet: sed & justi servi sunt Dei, & servando mandata faciunt, quod debent: ergo nihil merentur. *Maj.* & *min. prob.* ex illo textu Lucæ XVII. 9. Ubi Christus de servo tota die laborante ait: *numquid* Dominus *gratiam habet servo illi, quia fecit, quod ei imperaverat? Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, dicite, quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

III. Ut opus sit de condigno meritorium, debet dari æqualitas, seu condignitas inter opus, & mercedem: sed inter opera justi & præmium vitæ æternæ non datur talis æqualitas seu condignitas, *ergo. min. prob.* ex Apost. Rom. VIII. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Adeoque Deus remuneratur supra condignum. *Ergo.*

Resp. ad I. Vita æterna vocatur gratia, & ex misericordia dari dicitur duplici ex ratione: I. Quia in intentione prædestinatis ante omnia prævisa merita decreta

fuit.

fuit. II. Quia, cum Deus voluerit, ut adulti in executione illam per opera ſua promereantur, hoc autem ex ſe facere non potuiſſent, maxima ſane gratia facta eſt homini, quod Deus juſto gratiam habitualem gratuito donet, vi cujus opera ipſius poſſunt eſſe vitæ æternæ meritoria. Nam ut aliquando AUGUSTINUS dixit: dum Deus remuneratur merita noſtra, non coronat niſi munera ſua.

RESP. ad II. Servi inutiles vario modo dici poſſumus. I. Spectando noſtram naturam ſine gratia, & ſic opera naturalia non ſunt Deo grata. Ita S. AMBROSIUS.

II. Servi inutiles ſumus reſpectu Domini, quia per opera etiam ex gratia facta nihil utilitatis Deo afferimus. Ita Ven. BEDA.

III. Servi inutiles ſumus, quia, etſi omnia præcepta ſervemus, nihil facimus ultra id, quod debemus, nec poſſemus mercedem expoſcere, niſi eam Deus gratuito nobis paciſci voluiſſet. Et hæc eſt differentia inter ſervum proprie talem, & juſtum, Dei Filium; ille enim per opera ſua nihil meretur, quia ſupponitur, quod Dominns pactum de conferenda mercede nullum cum eo inierit. Econtra Pater æternus cum juſtis ut filiis hoc pepigit fœdus. Gen. IV. 7. *Nonne ſi bene egeris, recipies?* Ita S. AUGUSTINUS.

IV. Ut obſervat S. CHRYSOSTOMUS: non dixit Chriſtus: ſervi inutiles eſtis: ſed: *dicite*,

cite, quia ſumus: per quod inſinuare voluit, debere nos humiliter de nobis ſentire, nec intuitu operum noſtrorum ſuperbire. Sed tamen & his ſervis dicet Dominus: *Euge ſerve bone & fidelis* &c.

Resp. ad III. *Diſt.* Debet dari æqualitas, *abſoluta* & velut *arithmetica*, prout fit in emptione, venditione, ubi merx debet æquare pretium, *neg.* Debet dari æqualitas *proportionis* & *geometrica. conc.* Adtextum D. Pauli reſpond. ideo illum paſſiones, ſeu opera noſtra dicere non eſſe *condigna*; quia ſunt temporaneæ & breves: gloria autem æterna. Ita enim ait II. Corinth. IV. 17. *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis. . . æternum gloriæ pondus operatur in nobis*: per quod tamen non excluditur proportio operum ob dignitatem gratiæ ſanctificantis, & charitatis, ex qua procedunt.

195 Objic. II. Plures S. Patrum textus, qui ſæpe dicunt, operibus noſtris nullum deberi præmium; ſed reſponderi ſummatim poteſt, eos loqui vel de operibus mere naturalibus, ſine gratia & charitate elicitis: vel ſi loquantur de operibus ſupernaturalibus ex gratia ſanctificante & influxu charitatis procedentibus, hoc unum velle, quod operibus iſtis *abſolute* nullum debeatur præmium, ſed ſolum *ex hypotheſi*, quod Deus miſericorditer ea ad præmium æternum ordina-

dinare, & ita cum homine paciſci voluerit. Itaque Patres excludunt debitum abſolutum, non vero debitum conditionatum, vi cujus Deus potius ſibi ipſi, quam nobis debitor redditur. De quo §. VI.

OBJIC. III. ex ratione. Si homo per 196
opera bona meretur de condigno vitam æternam, tunc retributio gloriæ eſt actus *juſtitiæ*, ſaltem diſtributivæ: ſed hoc non poteſt admitti, ergo &c. *min. prob.* I. Si eſſet actus juſtitiæ, tunc juſtus haberet ſtrictum jus, gloriam exigendi, & Deus eſſet debitor homini; juſtitia enim eſt conſtans & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi: ſed creatura non habet jus ad gloriam, & Deus non poteſt eſſe homini debitor: nam ut ait AUGUSTINUS Lib. I. Confeſſ. C.4. *Reddis debita nulli debens.* ergo &c. Min. prob. II. Si vita æterna eſſet ex juſtitia debita, tunc homo juſtus deberet habere aliquid a ſe ipſo, & jus diſtinctum, non proveniens, nec dependens a Deo; in juſtitia enim debet dari alteritas juris, ut loqui ſolent: ſed homo non habet jus independens a Deo; nam jus illud fundatur in gratia ſanctificante gratis a Deo conceſſa. *ergo*.

RESP. Conc. maj. Nam Paulus II. Timoth. IV. 8. eam vocat *coronam juſtitiæ*, quam ipſe, & omnes diligentes Deum a juſto Judice exſpectant. Et ad Hebr. VI. 10. *Non*

Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri. Neg. min. ad I. prob. *diſt.* Deus eſſet debitor juſto, debito *abſoluto. nego min. conditionato. conc.* & nego *Conſeq.* Deus *abſolute* nihil debet homini, utcumque bene operetur: ſed poſtquam miſericorditer voluit vitam æternam homini promittere, non ſolo titulo hæreditatis, ſed & coronæ & mercedis; voluit etiam effici debitor juſti, imo vero potius ſibi, *in quantum debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur*, ut ait D. Thomas, hic Quæſt. 114. art. 1. Item juſtus haberet jus exigendi ex ſe ipſo. *neg.* a Deo ſibi liberaliter conceſſum. *conc.*

Resp. ad II. prob. Nego, quod requiratur jus *independens* a Deo. Diſtinctum quidem requiritur a jure Dei, & hoc habet juſtus; nam quamvis actiones ipſius bonæ habeant meritum ex gratia accepta a Deo, ſunt tamen *propriæ* actiones hominis, a libertate, a dominio ſuo provenientes, ſicque conſtituunt jus proprium & diſtinctum a jure Dei. Quod vero non requiratur jus *independens*, patet ex eo; quia etiamſi operationes Chriſti humanæ dependenter ab unione hypoſtatica provenerint, fuerunt tamen meritoriæ & quidem ex rigore juſtitiæ, quia ſuppoſitum & libertas Chriſti conſtituerunt jus diſtinctum a jure Patris æterni &c.

Objic. IV. Si opera justi essent meritoria 197
de condigno, hunc homo posset ponere fiduciam in suis meritis: atqui non potest. *ergo* &c. Min. *prob.* Quando homo ex sola misericordia Dei & meritis Christi potest sperare vitam æternam, tunc non potest ponere spem & fiduciam in suis meritis; sed ita est: ergo &c. Min. *prob.* Paulus ad Tit. III. ait: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum misericordiam suam magnam salvos nos fecit,* II. Maledictus est, qui confidit in homine: ergo & qui ponit fiduciam in meritis suis. III. Fit injuria meritis Christi, si ponatur fiducia in aliis meritis; cum sola Christi satisfactio promeruerit vitam æternam.

Resp. I. Aliud esse fiduciam ponere *in meritis*: aliud fiduciam nasci *ex meritis*. Fiduciam in operibus meritoriis ponit ille, qui ea intuetur & numerat, atque in iis confidit. Fiduciam ex meritis habet ille, qui, licet ignoret, an habeat vera merita coram Deo, & propterea exiguam aut pene nullam in meritis suis fiduciam constituat, ex testimonio tamen conscientiæ suæ, quod ipsum non reprehendit, oritur fiducia erga Deum, a quo vitam æternam etiam ut mercedem & coronam exspectat; nam ut dicitur Tob. IV. *Fiducia magna erit eorum summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.* I. Joan. III. *Si cor nostrum non re-*

pre-

prehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Vide Concil. Trident. seſſ. 6. C. 16. ubi ait, non eſſe gloriandum in ſe ipſo, ſed in Domino.

Resp. II. Poteſt homo abſolute aliquando ponere fiduciam in meritis ſuis, quod patet exemplo Nechemiæ, qui Esdræ II. 5. ajebat: *Memento mei Deus meus in bonum ſecundum omnia, quæ feci populo huic.* Item Davidis, qui Pſalm. XVII. *Retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam.* Et ipſius Pauli, qui Timoth. IV. *bonum certavi* &c. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Ratio eſt; quia fidelis eſt Deus in reddendis promiſſis. Sed tamen multis ex cauſis tutius eſt in ſola miſericordia Dei confidere: I. quia homo non habet certitudinem de ſua juſtitia. II. quia neſcit, an opera etiam bona fuerint omnibus conditionibus ad meritum requiſitis inſtructa. III. Ne ſubintret tumor ſuperbiæ & vanæ gloriæ, prout contigit Phariſæo Luc. XVIII. 11. Dum ſua numeraret opera bona; *Gratias tibi ago, quod non ſum ſicut ceteri hominum, jejuno bis in ſabbato: decimas do omnium, quæ poſſideo &c.* Vide Habert. Tom. III. de actibus hum. C. 7. §. 4. itaque

Resp. ad Argumentum neg. *min.* ad probationem *diſt.* Tunc non poteſt ponere fiduciam in ſuis meritis, ita, ut exiſtimet, illa habere pretium & valorem ex ſe. *Conc.* ſi

eum

eum exiſtimet dependenter ex meritis Chriſti habere, non poteſt ponere fiduciam *neg.* Paulus loc.cit. id vult, nos per opera noſtra non potuiſſe *ſatisfacere*, nec etiam mereri ſalutem, niſi Deus gratuito principium meriti, nempe gratiam ſanctificantem conferre, & opera ex gratia facta ut meritoria acceptare voluiſſet. Vel etiam poteſt explicari, quod loquitur de vocatione ad fidem Chriſtianam, quam nulla ratione mereri poſſumus.

Resp. ad II. *Diſt.* Maledictus, qui confidit in homine, *principaliter*, & independenter a Deo. conc. *Secundario* & dependenter a meritis Chriſti, ex quibus valor in noſtra merita derivatur. *neg.*

Resp. ad III. *Diſt.* Fit injuria Chriſto, ſi ponatur fiducia in noſtris meritis excludendo merita Chriſti vel æſtimando, quaſi opera noſtra ex ſe, & non a Chriſto haberent pretium & valorem *conc.* ſecus. *neg.*

Objic. V. Si opera bona eſſent merito- 198
ria, tunc bonum & honeſtum eſſet operari intuitu mercedis: ſed hoc non eſt licitum, ergo &c. *Min. prob.* I. Christus Joan. X. reprehendit mercenarios: ſed operari propter mercedem eſt mercenarium, &c. II. S. Bernardus lib. de diligendo Deo ait: „Non ſine præmio diligitur Deus, etſi „absque præmii intuitu diligendus ſit. Va-

„ cua namque vera charitas esse non potest, „ nec tamen mercenaria est. „ III. D. THOMAS 2. 2. quæst. 19. art. 4. ad 3. docet, amorem mercenarium non posse cum vera charitate consistere. IV. Servile ac sordidum videtur propter mercedem operari. V. Deus amore amicitiæ & non concupiscentiæ diligi debet. *ergo.*

RESP. I. conc. maj. Nam Concil. Trid. sess. 6. can. 31. contra Calvinum definivit: „ Si quis dixerit, justificatum peccare, „ dum intuitu æternæ mercedis bona operatur, anathema sit. „ Vide etiam Cap. 11. Idque patet ex S. Scriptura, quis enim dicat, peccasse Davidem, qui Psal. 118. ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Aut forte etiam CHRISTUS ad peccatum hortatus est, dum Matth. VI. ait: *Quærite primum regnum Dei & justitiam ejus &c.* & Paulus ad Coloss. III. *Quæcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et alibi passim. Ratio est, licitum enim & honestum est operari propter finem, prout patet in medicina ob sanitatem sumpta: sed vita æterna est finis fidei & operum nostrorum, ut ait Paulus Rom. VI. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam.* Et Petrus 1. epist. 1. *Ut reportetis finem fidei vestræ salutem animarum.*

RESP. II. neg. *min.* ad prob. I. II. & III. dico, *mercenarius* ille eſt proprie, qui *ſolam* mercedem aut tanquam *finem principalem* præcipue intuetur, & ita affectus eſt, ut ſi merces nulla ſperanda foret, ipſum opus omitteret, nec Deo ſerviret. Ideo CHRISTUS illos vocat *mercenarios* qui viſo lupo fugiunt; quoniam non ſalutem ovium, ſed propriam utilitatem quærunt. Nos vero dicimus, mercedem eſſe finem *ſecundarium* & *ſubordinatum*, & juſtum ita affectum eſſe debere, ut ſi remunerationis ſpes nulla foret, Deum tamen propter ſe ut ſummum bonum diligere, eique ſervire vellet. Hoc volunt S. BERNARDUS & S. THOMAS. Quid enim abſurdi & mercenarii ſit, ſi diligamus Deum tanquam noſtram beatitudinem, dicamusque cum AUGUSTINO: *feciſti nos Domine ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

RESP. ad IV. *Diſt.* Sordidum eſt propter mercedem operari; ſi merces ſit vilior opere, uti v. g. cibus vilior eſt prædicatione verbi aut adminiſtratione Sacramentorum. *conc.* ſi merces eſt præſtantior opere. *neg.*

RESP. ad V. *Diſt.* Non debet diligi amore concupiſcentiæ, qui non referatur ad amorem amicitiæ. *conc.* Si ad eum referatur & ordinetur. *neg.* Deus præcipue aman-

dus eſt propter ſe, & ſummum bonum, etſi non eſſet noſtrum bonum. Sed quoniam modo eſt ſumma & unica noſtra beatitudo, etiam ita amari poteſt, & debet.

§. II.

De falſis conditionibus, a Proteſtantibus ad meritum requiſitis.

199 Non omne opus meritorium eſſe, niſi quibusdam conditionibus inſtructum ſit, facile patet, de quibus modo agendum. Equidem & Proteſtantes quasdam requirunt, ſed ejusmodi, quæ in hominis poteſtate non ſunt, ut hac ratione meritum ipſum facilius eliminent. Illi ergo quatuor aſſignant, quibus opus bonum ad vitam æternam promerendam neceſſario inſtructum eſſe debeat, quas ex FORBESIO enumerat HAMELIUS de gratia lib. IV. Diſſert. II. cap. 4.

I. Eſt, ut opera noſtra ſint undequaque perfecta, non partium modo, ſed & graduum habita ratione, non ſolum ut nihil unquam faciendum omittamus aut omittendum faciamus, ſed etiam ea adſit charitatis perfectio, quam lex ipſa poſtulat, vel ea ſaltem, quæ pro ſtatu viæ eſt poſſibilis.

II. Eſt, ut, quod præſtamus, ſit indebitum. III. Eſt

III. Est, ut opus illud plane sit nostrum, non ejus, a quo merces exspectatur.

IV. Ut inter opera & mercedem sit æqualitas. His opposita statuitur

RESOLUTIO Fictitiæ sunt istæ conditio- 200
nes, & ad meritum non necessariæ. Ita Catholici.

PROB. quoad primam conditionem. Neque scripturæ, neque Traditionis auctoritate ea conditio ab adversariis probatur. Ergo conficta est.

II. Non requiritur talis operum perfectio *materialis*, ut sint ab omni peccato etiam veniali, quod frequentissime se insinuat, immunia, aut omni possibili fervore charitatis elicita; nam ut ait Apostol. Philipp. IX. *Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam.* Igitur non omnimoda requiritur perfectio, sed perfectionis studium & annisus.

III. Opera justi conditionibus infra assignandis stipata etiamsi quandoque materialiter, quandoque ob admixtionem peccati venialis imperfecta sint, ob gratiam tamen habitualem, a qua dignificantur, eam perfectionem obtinent, quæ habeat proportionem ad promissam mercedem; sunt enim supernaturalia, sunt opera Filii Dei adoptivi, & hoc ipso Deo grata &c.

IV. Etiamsi semen sit minimum respectu

 arboris,

arboris, tamen inter ſemen & arborem datur proportio: ergo etiam inter gratiam; hæc eſt enim ſemen Dei, quod in juſto manet, 1. Joan. 3. & gloriam: jam vero opera juſti a gratia habituali procedunt: ergo datur proportio inter ea & gloriam æternam.

201 Rejicitur IIda conditio. Si opus, ad hoc ut ſit meritorium, debet eſſe prorſus indebitum, tunc nec opera Chriſti fuerunt meritoria; quoniam & ille debuit præcepta implere, & obedire Patri. Sequela autem falſa eſt.

II. Etiamſi filius faciat quod debet, cum tanta ſint beneficia Patris erga filium, ut nihil videatur poſſe facere meritorium: ſi tamen id libere, bona voluntate, & amore filiali in obſequium Patris faciat, plus utique meretur quam ſervus, qui idem præceptum timore pœnæ adimplet. Sic & juſtus; Deus enim non tam opus, quam amorem, quo fit, intuetur, utpote qui voluntarie ſibi ſacrificari vult.

202 Rejicitur IIItia conditio. Nam opera debere eſſe prorſus noſtra, & nullo modo a Deo, non poſſunt ex ſcriptura probare aut PP. traditione.

II. Quamvis ſine gratia Dei juſtus non poſſit bene operari, ſua tamen ſunt opera,

ra, utpote qui libere gratiæ moventi consentit, formaliter se ad id determinando. Ut enim concilium TRIDENTINUM definivit: homo non est instrumentum prorsus inanime, quod respectu motionis Divinæ se mere passive habeat, sed animatum, liberum. Neque enim Christus ullibi dixit, quod *nihil omnino* possit homo facere, sed *nihil sine ipso*: ergo *cum ipso* potest. *Sicut enim palmes non potest ferre fructum a semetipso, sic nec vos, nisi in me manseritis*, ajebat Christus Joan XV. Itaque manentes in Christo & ipsi palmites, non sola vitis, proferunt fructum, quod in tractatu de gratia sæpe explicatum est.

Rejicitur & IVta conditio. Jam enim n. 194. Respons. ad III. & etiam agendo de prima conditione, observatum est, non requiri omnimodam æqualitatem inter opus & præmium; eoquod non ipsi operi, ratione sui, sed ratione subjecti & gratiæ sanctificantis, a qua procedit, insuper etiam propter ordinationem Dei, merces debeatur, consequenter sufficit proportio; dignum est enim, ut filius Dei & hæres, ex amore Patris excercens opera & strenue laborans, mercedem quoque a Patre accipiat. Dein probabilius videtur, non ex justitia *commutativa*, sed solum *distributiva* bonis justorum operibus deberi mercedem. ergo hoc ipso non debet dari exacta 203

 æqua-

æqualitas arithmetica inter opus & præmium.

204 Objiciunt adverſarii pro I. conditione. Si bonis juſtorum operibus de condigno debetur præmium, tunc illa debent eſſe adeo perfecta, ſicut præmium: ſed præmium, nimirum gloria æterna, eſt undequaque perfecta: ergo & opera debent eſſe undequaque perfecta modo ſupra explicato. *ſequel. maj. probant*, quia debet dari æqualitas inter præmium & opus tanquam inter datum & acceptum: ſecus opus eo ipſo non foret de condigno meritorium.

Respond. *Diſt.* Debent eſſe adeo perfecta, ut æqualitate arithmetica adæquent præmium, ſicut pecunia adæquat mercem venditam. *neg.* æqualitate ſeu proportione geometrica. *conc.* Sufficit ergo, quod opera quoad ſubſtantiam & propter gratiam ſanctificantem, qua dignificantur, habeant proportionem ad gloriam, ut dignum ſit, eam filiis bene operantibus a Patre conferri.

205 Objic. pro conditione II. Opera meritoria debere eſſe indebita. Hanc conditionem videtur requirere Chriſtus, dum Luc. XVII. ait: *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Inſuper

ſuper & Bernardus lib. de quadrupl. debito. Opera noſtra ita eſſe Deo debita, ut ea ſine ulla præmii ſpe a nobis exigere poſſit.

Resp. Textus ille jam fuit explicatus n. 1. 194.

Ad alterum Resp. Bernardus vult, quod opera noſtra ex ſe ſpectata & præſcindendo a pacto Divino ita ſint Deo debita, ut, niſi Deus liberaliter illis voluiſſet præmium promittere, nullam propterea mercedem ſperare potuiſſemus, quod Catholici omnes fatentur, & infra probabitur.

Objic. pro III. Opera debere eſſe noſtra : 206
ſed opera meritoria non ſunt noſtra ; ſunt enim principaliter ipſius Dei, a quo habemus gratiam, ſine qua meritoria eſſe non poſſent. Ideo etiam Paulus 1. Cor. XV. 10. dicit : *plus omnibus laboravi : non autem ego, ſed gratia Dei mecum.*

Resp. Nego, quod opera meritoria non ſint noſtra ; quomodo enim Paulus dicere potuiſſet, *laboravi*, & gratia Dei *mecum*, niſi fuiſſet gratiæ cooperatus ? Sunt ergo opera meritoria & Dei, & noſtra : Dei, propter gratiam prævenientem, efficaciter moventem, & inhabitantem ; noſtra, propter liberam cooperationem. „ Certum „ eſt enim, ut ait Augustinus, nos facere,

„ cum facimus, sed ille facit, ut facimus, „ præbendo vires efficacissimas voluntati. „

207 Objic. pro IV. Quæ fere coincidit cum prima. Proferunt illud Rom VIII. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam &c.* ergo, dicunt, & Paulus fatetur, opera humana non esse meritoria; quia non habent condignitatem seu æqualitatem cum præmio.

Resp. Dist. non est proportio & condignitas operum, si spectentur quoad substantiam suam. *conc.* si spectentur quoad gratiam sanctificantem, a qua procedunt & dignificantur. *nego.* Vide etiam n. 194. Resp. ad III.

§. III.

De conditionibus secundum Catholicos ad Meritum necessariis, & quidem ex parte ipsius operis.

208 Conveniunt Theologi Catholici quoad substantiam in assignandis conditionibus ad meritum de condigno, de quo solo jam loquimur, requisitis, quamvis quoad unam earum controversia sit. Unde etiam provenit, quod alii sex, alii plures enumerent. Aliquæ illarum se tenent ex parte ipsius operis, & sunt istæ. I. Ut actus sit

ſit bonus. II. Supernaturalis. III. Liber. IV. In obſequium Dei exhibitus, ſeu a virtute charitatis elicitus vel imperatus. Aliæ ſe tenent ex parte promerentis ſeu operantis: nimirum V. ut operans ſit viator, & VI. in ſtatu gratiæ ſanctificantis conſtitutus. Ultima ſe tenet ex parte Dei, nimirum VII. ut opus ex Divina promiſſione ad præmium ordinetur & acceptetur. De tribus prioribus conditionibus hic agitur, & ſtatuitur

Resolutio. I. Ut actus ſit meritorius, 209
debet eſſe *bonus* & *ſupernaturalis*. Eſt de fide.

Prob. I. pars, quam vix aliquis in dubium vocabit. I. Ex S. ſcript. nam Gen. IV. 7. ita Deus alloquitur Cainum: *Nonne ſi bene egeris, recipies, ſin autem male, ſtatim præ foribus peccatum aderit*? & omni fere pagina ſcriptura affirmat, actus peccaminoſos non tantum præmio non eſſe dignos, ſed pæna æterna vel temporali plectendos. Sed & ratio manifeſta eſt. Ut enim opus ſit meritorium, debet Deo placere; quod enim illi diſplicet, non utique præmio, ſed pœna dignum judicat: ſed placere Deo non poteſt, niſi bonum ſit. Si enim malum ſit, Deus illud ut ſibi tanquam ſummo bono oppoſitum neceſſario odiſſe debet. *Odio eſt enim Deo impius & impietas ejus.* II. Actus merito-

meritorius debet ordinari in Deum tanquam ultimum finem: atqui solum actus bonus potest ordinari ad Deum: ergo hic solum potest esse meritorius. III. Nec sufficit, quod sit bonus quoad substantiam, sed debet esse ex integro, seu undequaque bonus; si enim vel vana gloria subintret, jam non bonus, consequenter nec meritorius est, ut patet ex script. Math. VI. Nam *qui faciunt justitiam coram hominibus, ut videantur ab eis, mercedem non habebunt apud Patrem, qui in cælis est.* Imo *receperunt mercedem suam*, nempe laudem & existimationem humanam.

210 Prob. II. pars. Debere esse *supernaturalem*, id est, a præveniente gratia supernaturali præcedentem. Ut contra pelagianos definitum fuit, *gratiam ad singulos actus dari*, & in prælect. de gratia ostensum est. Proferam hic solum concilium Tridentinum Sess. VI. Can. 2. „ Si „ quis dixerit, ad hoc solum divinam „ gratiam per JESUM Christum dari, ut „ facilius homo juste vivere, ac vitam „ æternam promereri possit, quasi per „ liberum arbitrium sine gratia utrumque „ sed ægre tamen & difficulter possit; „ anathema sit. „ Ratio quoque in promtu est. Actus ut sit de condigno meritorius, debet habere æqualitatem quamdam & proportionem saltem ordinis: sed actus mere naturalis nullam habet æquali-

qualitatem & proportionem, nequidem ordinis cum præmio ſupernaturali, eoquod diverſi ſint ordinis. *ergo &c.* Et certe ſequeretur, Chriſtum ſine cauſa fuiſſe mortuum, ſi abſque ejus gratia, quam niſi ex meritis Paſſionis habemus, regnum tamen cæleſte poſſimus promereri, & adipiſci, quæ eſt ratio S. AUGUSTINI lib. 4. contra Julianum c. 3.

RESOLUTIO II. Actus meritorius debet eſſe *liber*, non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate. Eſt de fide, maxime contra Janſenianos. 211

Ante probationem breviter obſervandum, quod libertatis nomine intelligatur facultas ſeu vis electiva mediorum ad finem, vel vis ſui ipſius determinativa. Et eſt duplex: una *contrarietatis*, altera *contradictionis*. *Illa*, eſt facultas e duobus contrariis eligendi alterutrum. *Hæc*, eligendi actum, vel ejus omiſſionem. Libertas alia eſt *a neceſſitate*, alia *a coactione*: prior, eſt facultas ſe ipſum determinandi ſeu eligendi media ad finem adſequendum apta, ſeu eſt immunitas non ſolum a violentia & coactione, ſed etiam a determinatione ad unum per modum naturæ. *Libertas a coactione* eſt immunitas a violentia externa, qua & bruta quandoque gaudent. In hoc ergo conſiſtit libertatis eſſentia, quod homo indifferentiam activam habeat,

ſeque

ſeque ad agendum vel non agendum determinare poſſit. De his plura in Tract. de actibus humanis. Itaque JANSENIUS cum bona hominis opera a gratia victrici *neceſſitante*, & econtra peccata a concupiſcentia *prædominante* provenire arbitraretur, ita, ut homo ſub gratia *neceſſario bonum*, ſub concupiſcentia *neceſſario malum*, etſi voluntarie, operetur, hinc intulit, *in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum & demerendum non requiri libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere immunitatem a coactione*, quam propoſitionem INNOCENTIUS X. cum aliis quatuor ut hæreticam damnavit. Præiverat BAJUS, qui ut patet ex ejus propoſ. 39. 66. 67. libertatis eſſentiam in ſola immunitate a violentia conſtituit. Jam

212 PROB. I. ex S. Scriptura Eccli XXXI. *beatus vir, qui potuit transgredi, & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit*: IDEO *ſtabilita ſunt bona illius in Domino &c.* II. Cor. IX. *Unuſquiſque prout deſtinavit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex* NECESSITATE: *hilarem enim datorem diligit Deus.*

213 PROB. II. e Patrum Traditione S. JUSTINUS M. in apologia I. olim ſecunda n. 43. nov. edit. ita loquitur. „ Edocti a prophetis pænas & ſupplicia ac bonas remunerationes pro meritis cujusque actionum irrogari, verum id eſſe confirmamus. Nam ſi res ita ſe non habet, ac

„ fati

„ fati neceſſitate fiunt omnia ; nullus jam „ libero arbitrio locus. Si enim fato decretum eſt hunc eſſe bonum, iſtum autem malum ; neque hic laudandus, neque iſte vituperandus. Ac rurſus niſi „ humanum genus facultatem habeat libera animi inductione & fugiendi turpia, „ & honeſta ſectandi, extra noxam eſt : „ quidquid egerit. Sed libera animi inductione hominem vel bene agere vel „ male, ſic demonſtramus. Hominem „ eundem in contraria transcurrere videmus. Quodſi fato decretum eſſet, eum „ vel bonum eſſe vel malum, non ſane „ contrariorum capax eſſet, nec tam ſæpe „ mutaretur. Sed ne alii quidem boni „ eſſent, alii mali : vel enim fatum malorum cauſam eſſe, ac contraria ſibi ipſi „ facere ſtatueremus ; vel verum nobis „ videretur id, de quo jam diximus, nihil eſſe virtutem aut vitium, ſed ſola „ opinione bona aut mala dijudicari ; quæ „ profecto, ut vera ratio demonſtrat, maxima impietas & injuſtitia eſt. Sed fatum „ ineluctabile illud eſſe dicimus, his, qui „ bona eligunt, merita præmia, his vero „ qui contraria, debitam mercedem. Neque enim ut cætera, puta arbores & „ quadrupedes, quæ nihil judicio & voluntate facere poſſunt : ita Deus hominem fecit. Non enim remuneratione „ aut laude dignus foret, ſi ex ſe ipſo „ bonum non eligeret, verum ita natus

„ eſſet

„ eſſet, nec merito, ſi malus eſſet,
„ puniretur, ut qui non ex ſeſe ta-
„ lis foret, ſed aliud ab eo, quod natus
„ fuiſſet, eſſe non poſſet. „

S. Irenæus lib. IV. adverſus hæreſ. cap. 37. nov. edit. olim 71. „ Poſuit autem
„ in homine poteſtatem electionis, quem-
„ admodum & in angelis . . . Dedit ergo
„ Deus bonum, quemadmodum & Apo-
„ ſtolus teſtificatur in eadem epiſtola
„ Rom. II. 4. ſeq. & qui operantur qui-
„ dem illud, gloriam & honorem perci-
„ pient, quoniam operati ſunt bonum,
„ quum poſſint non operari illud; hi au-
„ tem qui illud non operantur, judici-
„ um juſtum excipient Dei, quoniam non
„ ſunt operati bonum, quum poſſint ope-
„ rari illud. „

S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio c. 1. „ Deinde illud bonum, quo com-
„ mendatur ipſa juſtitia in damnandis pec-
„ catis, recteque factis honorandis, quo-
„ modo eſſet, ſi homo voluntatem non
„ haberet liberam? non enim recte fa-
„ ctum aut peccatum eſſet, quod non
„ fieret voluntate, ac per hoc & pœna
„ injuſta eſſet, & præmium, ſi homo vo-
„ luntatem non haberet liberam. „

S. Bernardus Serm. 81. in cant. „ Ubi
„ non eſt libertas, nec meritum, propte-
„ rea quæ ſunt carentia ratione animalia
„ nihil

„ nihil merentur ; quia ſicut deliberatio-
„ ne, ita & libertate carent. „

Prob. III. Authoritate & ratione S. Thomæ Quæſt. VI. de malo. art. unico præ- 214
vie errorem Janſenii ut hæreticum reprobavit, ſic enim ait: „ quidam poſuerunt, „ quod voluntas hominis ex neceſſitate „ movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Non enim omne neceſſarium, eſt „ violentum, ſed ſolum id, cujus principium eſt extra: Unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violenti: violentum enim repugnat „ naturali ſicut & voluntario, quia utriuſque „ principium eſt intra, violenti autem principium eſt extra. Hæc autem opinio eſt „ *hæretica*; tollit enim rationem meriti & „ demeriti in humanis actibus. Non enim „ videtur eſſe meritorium, vel demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate „ agit, quod vitare non poſſit. Eſt etiam „ adnumeranda inter extraneas Philoſophiæ „ opiniones; quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia propria „ Philoſophiæ moralis: ſi enim non ſit „ liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movetur ad volendum; tollitur „ deliberatio, exhortatio, præceptum, & „ punitio, & laus & vituperium, circa „ quæ moralis Philoſophia conſiſtit. „

215 Prob. IV. Ratione. Actus meritorius debet esse *humanus*: secus homo etiam somniando posset mereri: atqui actus humanus debet esse liber a necessitate: *ergo &c. min. prob.* Actus humanus est, qui cum deliberatione rationis a voluntate procedit: at ubi adest deliberatio, adesse debet libertas a necessitate: ergo actus humanus debet esse liber a necessitate. *min. prob.* ubi adest deliberatio, debet adesse indifferentia, & potestas electiva mediorum ad finem; nemo enim deliberare potest circa id, quod non potest omittere. Sed ubi adest ista indifferentia & potestas electiva, habetur libertas a necessitate; nam ubi non adest libertas a necessitate, seu dum homo est determinatus ad unum, non habet indifferentiam nec potestatem electivam mediorum ad finem, ergo &c. Et hoc est quod ait D. Th. 1. 2. Quæst. 6. art. 2. ad 2. ,, Ex hoc contingit, quod ,, homo est Dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex ,, hoc enim, quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque ,, potest. ,,

216 Objiciunt Adversarii I. Deus acceptare ad meritum potest actiones tam liberas, quam necessarias, quia tota ratio meriti a Dei acceptatione dependet: & sic ad meritum martyrii acceptavit mortem parvulorum innocentium, ab Herode pro Christo occi-

occiſorum : qui tamen non libere perpeſſi ſunt mortem : ergo libertas non requiritur ad merendum.

Resp. Deus acceptare quidem poteſt actionem non liberam, non vero ad meritum : & ſic etiam privilegio ſingulari parvulis innocentibus contulit gloriam, quamvis eam non fuerint promeriti. Aliud eſt ergo acceptare actionem, aliud acceptare tamquam meritoriam vitæ æternæ : ſub hac enim ratione libera eſſe debet : ſecus non eſt actio moralis, & humana.

Objic. II. Christus per opera ſua fuit 217
meritus : at vero illa, ſaltem omnia, non erant libera : *ergo.* min. *prob.* Chriſtus neceſſario Deum diligebat : cumque omne meritum ab actu charitatis elicito vel imperato provenire debeat, ſequitur, quod omnia Chriſti opera meritoria fuerint *neceſſaria* : ergo libertas neque ad noſtra merita requiritur.

Resp. Chriſtus duplicem ſuſtinuit perſonam, *viatoris*, & *comprehenſoris*, Ut *comprehenſor* ob intuitivam Dei viſionem actus dilectionis *neceſſario* eliciebat : ut *viator*, ob ſcientiam infuſam *libere* diligebat, præcipue quoad actus a charitate imperatos ; poterat enim ex iis alios aſſumere, alios omittere. Et ideo, ut docet D. Thomas, quia nunc non eſt amplius viator, non

est in statu merendi. 3. p. quæst. 19. art. 3. ad 1.

218 Objic. III. Christus morte sua sibi nobisque promeritus fuit: atque in subeunda morte non habuit libertatem a necessitate; supposito enim præcepto rigoroso moriendi a Patre accepto, & impeccabilitate, Christus non habuit libertatem *contradictionis* ad non moriendum. Si enim potuisset præceptum mortis non implere, potuisset peccare: quod Christi impeccabilitati repugnat. Ergo libertas a necessitate & contradictionis & exercitii ad meritum non requiritur.

Resp. Maxima hoc argumento involvitur difficultas, quæ ad Tract. de Incarnatione pertinet. Quomodo nimirum libertas Christi possit combinari cum impeccabilitate, supposito rigoroso præcepto moriendi. Thomistæ ad sensum compositum & divisum confugiunt, ajuntque, Christum fuisse libere mortuum; quia, etiamsi in sensu composito præcepti non potuerit non mori, cum nequiverit se morti subtrahere, secus enim transgrediendo præceptum Patris peccasset: potuit non mori in sensu diviso, præcisive a præcepto; ab hoc enim præscindendo, non mori, nullum involvit peccatum. Qui potest capere, capiat. Forte facilius responderi potest hoc modo. Mortem Christi fuisse liberam non quidem in se, sed

ſed in ſua cauſa; quia ſponte ſe obtulit Patri, quod morte ſua ad rigorem juſtitiæ pro homine lapſo ſatisfacere velit: quamvis tunc, dum actu mortuus eſt, non potuerit non mori, quia propter impeccabilitatem non potuit transgredi præceptum; eo fere modo, quo aliquis, prius quam religionem profitetur, libere acceptat conſilia Evangelica, quæ potuiſſet ſine peccato non acceptare: poſtquam autem ſe voto obſtrinxit, jam non poteſt citra peccatum ea reſpuere: & quæ ab initio erant libertatis, poſtea fiunt neceſſitatis. *En! libertate privo me, ut ſponte vinctus ſequar te*, & debet neceſſario ea ſervare, quamvis libere ſervet, libertate non quidem in ſe, ſed in ſua cauſa. Ita quoque, qui libere ſe inebriat, & in ebrietate prævidet, aut prævidere poteſt omiſſionem Miſſæ, etiamſi in actuali ebrietate non poſſit Miſſæ intereſſe, & ſic omiſſio neceſſaria ſit in ſe, eſt tamen libera in ſua cauſa. Hæc vero libertas uti ſufficit ad demerendum, ſic etiam ſufficit ad merendum. Ita ſalvo meliori aliorum judicio de intricata hac quæſtione, quæ nullo non tempore Theologorum vexavit ingenia. Vide Prælect. de Incarnatione, de libertate Chriſti.

§. IV.

De necessitate, opus per charitatem in Deum referendi.

219 Dictum est supra n. 208. ad meritum requiri, ut opus fiat in obsequium Dei, cujus ratio est; quia cum meritum, saltem secundario, respiciat retributionem, ad eum dirigi, & in ejus gratiam fieri debet, cujus servitio mancipati sumus, & a quo præmium exspectamus. Jam vero Deo servire etiam gratis tenemur, & secundario saltem servitii nostri remunerationem a Deo æternam speramus: Igitur opera meritoria in obsequium Dei fiant necesse est. Secus conqueri de nobis poterit Deus per Isaiam XXIX. 13. *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et in hoc facile omnes conveniunt. An vero ut opus rite in obsequium Dei fiat, & meritorium sit, insuper requiratur, ut actus virtutum moralium acquisitarum, vel etiam infusarum, a charitate imperari debeant, non minima est inter Theologos concertatio, pro cujus pleniore notitia

220 Observandum: tres dari hac in quæstione sententias. Prima est QUESNELLI, qui actum meritorium ita a charitate procedere debere docet, ut sit formaliter actus charitatis perfectæ: hæc si desit, actum non

non tantum non meritorium, ſed & peccaminoſum eſſe: ex quo evidenti ſequela deducit, omnia opera infidelium & peccatorum eſſe peccata, & neque in juſto nec in peccatore dari actum aliquem, qui non ſit aut meritorius vitæ æternæ aut demeritorius. Vid. Tom. VI. Cap. III. §. I. harum Prælectionum, quod quidem etiam D. THOMAS docet quoad hominem juſtum, non tamen peccatorem, cujus actus bonus ſupernaturalis, etſi meritorius non ſit vitæ æternæ, defectu gratiæ ſanctificantis, gratias tamen actuales, & ipſam habitualem de congruo ſaltem late ſumto promeretur: de quo Parte II. redibit ſermo. Hic enim unice agitur de merito condigno. QUESNELLI vero & BAJI opinionem Tom. VI. loc. cit. confutavi. Altera eſt VASQUESII & plurium Recentiorum, qui nullum charitatis influxum requirunt, ſed omnia opera bona juſti ob ſolam charitatem habitualem concomitantem vitæ æternæ meritoria eſſe exiſtimant. SUARESIUS eam mitigat, dicens, ad rationem meritoriam requiri, ut opus procedat ſaltem ex aliquo habitu cujusdam virtutis infuſo & illi virtuti proprio: etſi nec *actualiter* nec *virtualiter* procedat ex aliquo actu charitatis. Inter utramque media eſt communis Thomiſtarum & aliquorum recentiorum poſt BELLARMINUM ſententia, qui nullum opus de condigno meritorium vitæ æternæ eſſe docent, niſi ſaltem *virtualiter* procedat ex præcedente actu charitatis.

In hac itaque ſententia ut actus ſit meritorius, debet eſſe vel *elicitus*, vel *imperatus* a charitate. Actus *elicitus* a charitate eſt actus proprius virtutis charitatis ex motivo proprio ejusdem procedens : ut dum quis Deum actu diligit, quia eſt ſummum bonum. *Imperatus* eſt actus alterius virtutis, qui præter motivum proprium ex motivo quoque charitatis exercetur. Sic jejunium non ſolum ex motivo temperantiæ aut obedientiæ ſed ex amore Dei ſervatum, eſt actus imperatus a charitate.

221 Obſervandum ulterius; triplici modo poſſe actus aliarum virtutum, ſive moralium, acquiſitarum, ſive infuſarum a charitate procedere vel imperari. I. *Habitualiter*, dum charitas habitualis in operante exiſtens actum quidem non dirigit, ſed materialiter ſolum comitatur. Sic poteſt dici, omnia opera juſti a charitate habitualiter procedere, quoniam charitas in juſto operante exiſtit : quamvis opus particulare nullo modo ad Deum tanquam charitatis objectum dirigatur. II. *Actualiter*, dum ex motivo formali, actu & expreſſe cogitando, opus v. g. eleemoſyna ad Deum dirigitur : ſeu dum quis eleemoſynam erogans ſecum ſtatuit, ſe hoc opus ex amore Dei ſummi boni exercere. III. *Virtualiter*: dum ex virtute actus charitatis præcedentis relicta opus ad Deum dirigitur, etſi operans hic

hic & nunc actu de Deo non cogitat, ita tamen conſtitutus eſt, ut ſi quis ex ipſo interrogaret, quare hoc opus exerceat v. g. eleemoſynam eroget, mox reſponderet, ſe ex amore Dei hoc facere, quoniam præcedente actu charitatis ſe & omnia ſua inDeum retulit, & ſemper referre decrevit, qui actus *virtualiter* manet, & in reliqua opera bona influit. Exemplum dari poteſt in homine, qui Romam ire decrevit. Hac intentione res ſuas convaſat, currum conducit, omnia itineri apta parat, adgreditur viam: & quamvis ſingulis hisce actibus de fine ſuo, ſeu Roma, non cogitet, ipſa tamen prima intentio *virtualiter* in eos influit, & ad finem ſemel intentum dirigit.

Quousque autem ſe virtus iſta ex actu 222
prævio charitatis relicta extendat, & quamdiu duret, vix determinari poterit, neque conveniunt Theologi: Quorum aliqui exiſtimant, eam tamdiu durare, quoad per peccatum mortale non fuerit retractata prima illa ordinatio charitatis ad Deum facta. Quod mihi non videtur ſufficere; quoniam ſecus homo per totum annum, vel integram vitam a gravi peccato immunis, quovis actu bono de condigno mereretur vitam æternam, absque actu charitatis expreſſe interea temporis elicito: quod vix poterit admitti. In praxi tutiſſimum eſt, ejusmodi actum & ordinationem charitatis ſæpius repetere; cum aliunde ſæpius

in anno ſub gravi, imo, ut multis videtur, ſingulis Dominicis & Feſtis diebus ad actus virtutum theologicarum eliciendos homo ſaltem ſub veniali peccato ſit obligatus, de qua Quæſtione agam Parte II. de Virtutibus Theologicis. His notatis ſtatuitur

223 Resolutio. Ut actus ſit de condigno meritorius vitæ æternæ, non ſufficit *habitualis*, nec requiritur *formalis*, & *actualis*, ſed *virtualis* influxus charitatis. Videtur expreſſa ſententia D. Thomæ, qui in 2. ſent. diſſ. 40. quæſt. 1. art. 5. ad 6. docet: „ Non „ ſufficit habitualis ordinatio actus in Deum; „ quia ex hoc, quod eſt in habitu, nullus „ meretur, ſed ex hoc, quod actu opera- „ tur: nec tamen oportet, quod intentio „ actualis ordinans in finem ultimum ſit „ ſemper conjuncta cuilibet actioni, quæ „ dirigitur in aliquem finem proximum; „ ſed ſufficit, quod aliquando actualiter „ omnes illi fines in finem ultimum referan- „ tur, ſicut fit, quando aliquis cogitat ſe „ totum ad Dei dilectionem dirigere; tunc „ enim, quidquid ad ſe ipſum ordinat, in „ Deum ordinatum erit: & quandocum- „ que habitus charitatis in actum exit, fit „ ordinatio totius hominis in finem ulti- „ mum & per conſequens omnium eorum, „ quæ in ipſum ordinantur, ut bona ſibi. „ Et ex inſtituto 1. 2. quæſt. 114. art. 4. ⊙ „ Vita æterna in Dei fruitione conſiſtit. „ Motus autem humanæ mentis ad fruitio-

„ nem divini boni eſt proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundum quod aliæ virtutes imperantur a charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundario, ſecundum quod earum actus a charitate imperantur. „ Quod etiam expreſſe docet de virtutibus infuſis fide & ſpe. Nam ibidem ad 3. ait: „ Dicendum, quod fidei actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Gal. V. ſimiliter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur ſecundum illud I. Cor. XIII. 3. „ *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* „ Et alibi paſſim.

Prob. I. pars: Non ſufficere influxum 224
habitualem charitatis. I. ex S. Scriptura, quæ præmium eſſentiale, nempe viſionem Dei intuitivam, ubique charitati adſcribit, & diligentibus Deum: ſed ille non poteſt dici diligere Deum, qui habitualiter ſolum & concomitanter habet charitatem, quæ nullo modo, nec actu, nec virtute in opus influit, illudque imperat: *ergo* &c. *Maj.* patet ex ipſis textibus. Joan. XIV. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.* II. Tim. IV. *Bonum certavi* &c. *ſed & iis, qui diligunt*

gunt adventum ejus. 1. Cor. II. *Nec oculus vidit* &c. *quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum.* Jacob. I. *Beatus vir, qui ſuffert tentationem* &c. *accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Sed & infinitis in locis aliis merces nonniſi illis promittitur, qui in nomine Dei, vel propter nomen Chriſti quidquam boni fecerint. Jam vero nec Chriſtus, nec Apoſtoli tam ſolicite nos fuiſſent hortati, ut omnia opera noſtra in nomine Dei, ſeu ex charitate faciamus, ſi charitas habitualis ſolum concomitans opera noſtra poſſet de condigno reddere meritoria.

225 Idem inculcant SS. Patres. Legatur vel ſola homilia S. Gregorii M. 27. in Evang. quæ habetur in breviario de communi vigiliæ Apoſtolorum. S. Leo magnus ſerm. 10. de Quadrag. „ Quamvis magnum ſit habere „ fidem rectam, & multa laude digna ſit cir„ cumciſio gulæ, lenitas manſuetudinis, pu„ ritas caſtitatis; nudæ tamen ſunt omnes „ virtutes ſine charitate; nec poteſt dici in „ qualibet excellentia morum fructuoſum, „ quod non dilectionis partus ediderit. „ Et Bernardus opuſc. de charitate C. 12. „ Om„ nia juſtitiæ opera referuntur ad charita„ tem, & ab ipſa tamquam fructus ab arbore „ pendent. Sicut enim fructus ſuum a pal„ mite recipit alimentum, ſic boni operis „ fructus a charitate ſuum recipit initium „ & progreſſum. „

Prob. Ratione I. Ut opera ſint meritoria 226
vitæ æternæ, requiritur, ut fiant in obſequium Dei: ſed in obſequium Dei fieri non poſſunt, niſi vel *actualiter* vel *virtualiter* in Deum referantur: ergo ſic debent referri; ſed hæc ipſa relatio nihil eſt aliud niſi imperium charitatis: *ergo* &c. Si enim ad meritum ſufficeret, quod ſubjectum operans ſit habitualiter ad Deum ordinatum, tunc etiam peccata venialia hominis juſti eſſent meritoria, cum ſint opera hominis habitualiter ad Deum ordinati. Ita ratiocinatur D. Thomas in 2. ſent. diſt. 38. Quæſt. 1. art. 1. ad 4.

II. Ut opera virtutum moralium ſint meritoria, debent eſſe ſupernaturalia *quoad modum*: ſed ut ſint ſupernaturalia, hoc non poſſunt habere ex ſola concomitantia habitus charitatis, hic enim nullo modo in actum influit. *ergo* &c. *Maj. prob.* opus de condigno meritorium vitæ æternæ debet in eodem ordine eſſe cum præmio, quod eſt ſupernaturale: ergo.

III. Opera infidelis & peccatoris habitualis non fiunt demeritoria ex eo ſolum, quod operans ſit habitualiter averſus a Deo, & converſus ad creaturam, niſi hæc ipſa habitualis averſio aliquo modo vel actu vel virtute in opus influat; ſecus omnia opera peccatorum & infidelium forent peccata, quod damnatum eſt. Ergo nec omnia opera juſti fiunt meritoria vitæ æternæ ex eo ſolum, quod operans per charitatem ſit habitualiter ad

Deum ordinatus, nisi charitas aliquando in opus influat.

227 Prob. II. Specialiter, quod nec actus virtutum *Theologicarum* aut moralium *infusarum* sint meritorii vitæ æternæ, nisi a charitate imperentur. Id enim expresse docet D. Thomas n. 129. cit. & ratio est I. Perfectio vitæ Christianæ essentialiter consistit in charitate: ergo etiam meritum præmii essentialis in ea sola fundatur, consequenter aliis virtutum actibus non debetur, nisi a charitate fuerint imperati. *Consequentia* videtur legitima; quoniam præmium essentiale Patriæ respondet perfectioni essentiali viæ. *Antecedens* vero D. Thomas expresse docet 2. 2. Quæst. 184. art. 1. *sed contra* & in ⊙ & SS. PP. comuniter. II. Ille solum actus meretur præmium essentiale, nempe fruitionem Dei ut ultimi finis, qui solum in hunc finem tendit: sed solus actus charitatis tendit in Deum ut ultimum finem. *ergo* &c. *Min. prob.* Actus virtutum moralium acquisitarum solum tendunt in bonum *honestum ordinis naturalis*, & virtutes infusæ in bonum honestum ordinis *supernaturalis*: ergo nisi isti actus a charitate imperentur, præmium essentiale non merentur. *Min. prob.* II. nulla virtus potest ferri extra objectum suum, & attingere objectum specificativum alterius virtutis superioris, nisi hæc virtus superior suo imperio illius virtutis actum ad suum objectum ordinet: sed Deus ut ultimus finis est objectum proprium & specificativum charitatis: ergo non

potest

poteſt ab alia virtute attingi, niſi mediante imperio charitatis. Et hoc eſt, quod ait D. Thomas hic nim. 1. 2. Quæſt. 114. art. 4. ad 1. „ Charitas in quantum habet ultimum „ finem pro objecto, movet alias virtutes ad „ operandum. Semper enim habitus, ad „ quem pertinet finis, imperat habitibus, „ ad quos pertinent ea, quæ ſunt ad finem. „

Prob. II. pars. Non requiri influxum 228
actualem ſeu *formalem* charitatis. Hæc eſt expreſſa mens D. Thomæ in 2. ſent. d. 38. Quæſt. 1. art. 1. ad 4. ubi ait: „ Ad hoc, quod „ alicujus actionis finis ſit Deus vel chari- „ tas, non oportet, quod agendo illam actio- „ nem aliquis de Deo vel de charitate cogi- „ tet. . . . ſed oportet, quod prius fuerit „ cogitatio de fine, qui eſt charitas vel Deus, „ & quod ratio actiones ſequentes in hunc „ finem ordinaverit; ita, quod rectitudo il- „ lius ordinationis in actionibus ſequentibus „ ſalvetur, ut patet in exemplo, quod Avi- „ cenna ponit de artifice, qui, ſi dum opus „ ſuum exercet, ſemper de regula artis cogi- „ taret, multum in opere impediretur; ſed „ ſicut prius excogitavit per regulas artis, „ ita poſtmodum operatur, & ſic in opere „ ejus rectitudo artis ſalvatur. „ Hæc D. Thomæ ratio eſt. Ut cauſa in effectum influat, non eſt neceſſe, ut actu in ſe exiſtat, ſed in virtute ſua permaneat, prout patet de intentione orandi, conficiendi Sacramenta &c. & apud omnes fere in confeſſo eſt: ergo

ergo non requiritur, ut charitas actualis opus dirigat, necesse est tamen ad opus meritorium, ut a charitate saltem virtualiter influente in ultimum finem, Deum, dirigatur, quod exemplo declarat D. BONAVENTURA in 2. sent. dist.41. art. quæst. 3. Si enim aliquis statuat certam quantitatem pecuniæ ex amore Dei erogare pauperibus, quoties aliquem nummum data occasione pauperi distribuit, etiamsi actu de Deo non cogitet, in virtute tamen prioris intentionis hæc erogatio in Deum relata & ex charitate virtualiter influente facta censetur.

229 OBJIC. I. Actus virtutum moralium etiam sine ordinatione charitatis in Deum sunt boni & meritorii vitæ æternæ: ergo nec virtualis ordinatio charitatis requiritur. *Ant. prob.* Illis actibus sine omni relatione ad charitatem S. Scriptura promittit præmium æternum. Nam Matth. X. dicitur: *Quicumque dederit potum aquæ frigidæ tantum, non perdet mercedem suam.* Et XV. ad electos: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*; Item: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Et Paulus I. Cor. XV. Omni operi bono sine charitatis mentione mercedem æternam promittit, dicens: *Abundate in opere bono, scientes, quod labor vester non erit inanis in Domino.*

RESP. Nego *antec.* ad *prob.* dico, dum Scriptura actibus virtutum moralium promittit vitam æternam, vel expresse addit, vel suppo-

ſupponit, eos eſſe elicitos in nomine Chriſti, ſive per charitatem virtualiter ordinatos ad Deum; ſic enim ait Math. XXV. *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, & Paul ad Coloſ. III. *Omnia quæcunque facitis in Verbo vel in opere, omnia in nomine Domini noſtri JESU Chriſti facite.*

Objic. II. Concilium Tridentinum Seſſ. 230
6. exacte enumerat conditiones ad meritum requiſitas, nec tamen meminit relationis virtualis: ergo non requiritur.

II. Per opera bona implentur præcepta naturalia, & hac obſervatione homo meretur vitam æternam, ut patet ex illo Christi Luc. X. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata:* ſed ad obſervationem mandatorum non requiritur, ut fiat ex motivo charitatis, aut imperio virtuali: ergo per opera bona ſine influxu charitatis virtualis homo meretur vitam æternam. *min.* denuo *prob.* Certum eſt, mandata etiam a peccatore ſervari poſſe, in quo charitate habituali deſtituto nullus poteſt fingi influxus charitatis.

Respond. ad I. *Diſt.* Tridentinum enumerat omnes conditiones certitudine fidei requiſitas. *conc.* in ſcholis controverſas. *neg.* Jam ſæpius monui, concil. Trident. unice congregatum ad refellendos errores

hæreticorum, præjudicare noluiſſe ſcholarum placitis, quæ ſalva fide & pace in utramque partem diſceptari poſſunt.

Resp. ad II. *Conc.* I. partem *Maj.* quod per actus virtutum moralium poſſint impleri præcepta naturalia: nego autem alteram, quod per hanc obſervationem ſine ordinatione charitatis homo mereatur vitam æternam. Itaque *Diſt. min.* Ad obſervationem mandatorum ut *ſine culpa* fiat, non requiritur imperium charitatis. *conc.* ut *meritorie* fiat. neg. Servando mandata homo ſatisfacit legi, nec pœnam æternam, in transgreſſores ſtatutam, incurrit, vitam tamen æternam non meretur, niſi ex motivo charitatis ſaltem virtuali fiat. Hæc eſt mens D. Thomæ Quæſt. 2. de malo. art. 5. ad 7. „ Modus charitatis „ ſub neceſſitate præcepti includitur, ſe„ cundum quod præceptum ordinatur ad „ conſecutionem beatitudinis, non autem „ ſecundum quod ordinatur ad vitandum „ reatum pœnæ. „

231 Objic. III. D. Thomas pluribus in locis docet, quod omnia juſti opera ſint meritoria vel demeritoria, ſed actus virtutum moralium ſine relatione charitatis a juſto elicitorum non ſunt demeritorii: ergo meritorii, & hoc ipſo ſufficit charitas habitualis concomitans. M. *prob.* omiſſis pluribus aliis textibus ex Comment. in 2. Sent.

d. 40.

d. 40. Quæst. 1. art. 5. Audiatur solum Quæst. 2. de malo. art. 5. ad 7. ubi postquam dixerat, omnem & solum actum esse meritorium, qui a charitate procedit, concludit: „ Ex quo patet, quod non omnis humanus actus, etiam in singulari consideratus, est meritorius vel demeritorius, licet omnis sit bonus vel malus. Et hoc dico propter eos, qui charitatem non habent, qui mereri non possunt: sed habentibus charitatem omnis actus est meritorius vel demeritorius, ut in objiciendo probatum est. „ Et ibidem: argumentum XI. totum concedit: sic autem sibi objecerunt. „ Ad hoc quod aliquis sit actus meritorius in habente charitatem, non requiritur quod actu referatur in Deum, sed sufficit, quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui habitu refertur in Deum; sicut si aliquis volens peregrinari propter Deum emat equum, nihil actu de Deo cogitans, sed solum de via, quam jam in Deum ordinaverat; hoc est enim meritorium. Sed constat, quod ille qui habet charitatem, se & omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini: ergo quidquid ordinaverit vel ad se, vel ad quodcunque aliud sui, meritorie agit, etiamsi actu de Deo non cogitet, nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum: hoc autem non potest

 „ esse,

„ esse, nisi peccatum saltem veniale: er-
„ go omnis actus habentis charitatem vel
„ est meritorius vel peccatum. Hæc D. THO-
„ MAS, „ ex quo textu etiam patet, suf-
ficere relationem habitualem.

Ad hoc argumentum, quod plurimas difficultates involvit, resp. I. *Dist. maj.* Sunt meritoria, si procedant ex *virtuali* imperio charitatis *conc.* si solum ex *habituali.* nego *maj.* Nam ex dato a D. THOMA exemplo in textu ultimo patet, eum loqui de virtuali ordinatione, & adhuc clarius in 2. D. 40. qu. 1. art. 5. ad 6. n. 223. allegato. Et ideo.

RESP. II. Nego. *min.* Nam ut D. THOMAS q. 14. de veritate art. 5. ad 13. ait:
„ dicendum, quod in habente charitatem
„ non potest esse aliquis actus virtutis,
„ nisi charitate formatus; aut enim actus
„ ille erit in debitum finem ordinatus:
„ & hoc non potest esse nisi per charita-
„ tem, in habente charitatem. Aut non
„ est ordinatus in debitum finem, & sic
„ non erit actus virtutis. „

RESP. III. præscindendo a S. THOMA *Dist.* maj. Sunt meritoria, vel de *condigno* vel de *congruo. conc.* semper de condigno. *neg.* Tunc enim solum justus de condigno meretur, dum virtualiter a charitate procedit actus: si nec virtualiter procedit, &

tamen

tamen ad finem proximum eſt ordinatus, bonus, & ſic de congruo meritorius erit. Non enim video diſparem rationem, cur peccator poſſit elicere actum bonum, nec meritorium nec demeritorium de condigno vitæ vel pænæ æternæ, & idem non poſſit juſtus. Sicut enim deordinatio a Deo non omnia opera peccatoris inficit, ſic non video, cur ordinatio hominis juſti ad Deum per actum charitatis facta, in omnia ejus opera influat, & de condigno meritoria efficiat. Et quemadmodum actus juſti dum eſt demeritorius, non ſemper meretur pænam æternam; ſic dum eſt meritorius, non ſemper meretur vitam æternam immediate & de condigno: niſi virtualiter a charitate procedat; ſecus homo juſtus nihil omnino de congruo *ſibi* mereri poſſet, quod difficile videtur. Aliunde etiam vix poteſt ſatis explicari, quomodo actus charitatis a longo tempore in juſtificatione elicitus ad omnia deinceps bona juſti opera, nullo modo cum eo connexa, ſe extendere, & ſuam virtutem in ea diffundere, ſicque meritoria reddere poſſit. Scio a Salmanticenſibus fingi quandam formalitatem modalem, a charitate tamquam virtutum omnium forma in ſubſequentes virtutum actus derivatam, qua ad Deum ultimum finem ordinentur, perficiantur, formentur, & meritorii reddantur. Sed hanc formalitatem

 moda-

modalem adhuc minus capio. Itaque redeo ad opinionem n. 222. paucis explicatam.

232 Objic. IV. Et simul impugnatur Responsio II. numero præcedente ex D. Thoma data. Justus non tenetur singula opera moraliter bona ad finem ultimum charitatis referre, sed sufficit, ut ad finem proximum honestum referatur: sed eo ipso non erunt de condigno meritoria: ergo potest dari in justo actus, qui nec sit meritorius nec demeritorius. *Ant. prob.* nullum extat præceptum, de singulis operibus ad finem ultimum dirigendis: vel si extaret, tunc illud obligaret etiam infideles & peccatores: sed hi non obligantur; quia secus quovis opere peccarent, cum defectu charitatis nullum eorum nequidem virtualiter possint ad Deum ut ultimum finem referre: quod tamen damnatum est.

Respond. Nego *antec.* & probationem. Illud enim præceptum extat in S. Script. nam I. Cor. X. ait Paulus: *sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba proprie dictum præceptum continere expresse docet S. Thomas in 2. sent. d. 40. q. 1. art. 5. ad 7. & quæst. 2. de virtut. art. 11. hoc ipsum repetit, aitque relatione virtuali omnium actuum huic præcepto satisfieri. Nam loco cit. respondet. „ Dicendum quod om-
„ nia actu, id est formaliter, referre in De-
„ um

„ um, non eſt poſſibile in hac vita, ſicut
„ non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo co-
„ gitetur, hoc enim pertinet ad perfectio-
„ nem patriæ; ſed quod omnia virtute
„ referantur in Deum, hoc pertinet ad
„ perfectionem charitatis, ad quam om-
„ nes tenentur. Ad cujus evidentiam con-
„ ſiderandum eſt, quod ſicut in cauſis
„ efficientibus virtus primæ cauſæ manet
„ in omnibus cauſis ſequentibus, ita etiam
„ intentio principalis finis virtute manet
„ in omnibus finibus ſecundariis. Unde
„ quicunque actu intendit aliquem finem
„ ſecundarium, virtute intendit finem prin-
„ cipalem. Sicut medicus dum colligit
„ herbas, actu intendit conficere potio-
„ nem, nihil fortaſſis de ſanitate cogitans:
„ virtualiter tamen intendit ſanitatem,
„ propter quam potionem dat. Sic igi-
„ tur cum aliquis ſe ipſum ordinat in Deum
„ ſicut in finem, in omnibus, quæ prop-
„ ter ſe ipſum facit, manet virtute in-
„ tentio ultimi finis, qui eſt Deus: Unde
„ in omnibus mereri poteſt, ſi charitatem
„ habeat. Hoc igitur modo Apoſtolus
„ præcepit, quod omnia in Dei gloriam
„ referantur. „ Et ad III. „ habitualiter
„ referre in Deum non cadit ſub præcep-
„ to, ſed virtualiter omnia referre in Deum
„ cadit ſub Præcepto charitatis. „

Respond. ad alterum de peccatore, etiam eum obligari; ſed quia præceptum hoc eſt *affirmativum*, non obligat pro ſemper, & ſic non omni opere peccat contra hoc præceptum, ſed ſolum tunc, dum ad actum charitatis eliciendum fuerat obligatus, cujus omiſſione peccavit, & quod habituale peccatum omiſſionis omnes peccatoris actus etiam moraliter bonos comitatur, non tamen inficit

Objectiones reliquæ, quæ fieri poſſunt contra hanc ſententiam, maxime ex propoſitionibus damnatis Queſnel. & Baji, videantur in Cl. D. Amort, Theolog. Tom. 5. p. 362.

§. V.

De conditionibus ex parte perſonæ merentis requiſitis, ſeu de ſtatu viæ, & gratiæ ſanctificantis.

233 Vix erit, qui ad meritum de condigno vitæ æternæ ſtatum viæ ut conditionem non requirat, quamvis non deſint, qui animabus purgantibus, & beatis cum Chriſto regnantibus extra ſtatum viæ poſitis, meritum quoddam *de congruo* concedant. Alteram conditionem, nimirum ſtatum gratiæ ſanctificantis ad meritum requiri negavit Bajus, cujus ſequentes damnatæ ſunt propoſitiones. 12. *Pelagii ſententia eſt, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non eſt regni cæleſtis meritorium.* 15. *Ratio*

tio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operatur habeat gratiam & inhabitantem Spiritum S. sed in eo solum, quod obedit Divinæ legi. Item 13. & 17. Imo propositione 42. & 69. gratiam sanctificantem & infusam negat, asserens, non per eam, sed per obedientiam legis & mandatorum hominem formaliter justificari. Sed cum communi catholicorum statuitur

Resolutio. I. Ad meritum *de condigno*, 234
imo etiam de *congruo* requiritur status viæ. Quoad primum conveniunt catholici; alterum docet S. Thomas. *Prob.* Hanc conditionem videtur requirere S. scriptura. Nam Ecclesiastis IX. 5. *mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Ubi advertit Hieronymus in hunc locum: „ viventes possunt bona opera perpetrare: mortui vero nihil valent adjicere ad id, quod secum tulere de vita. „ Christus Joan. IX.4. *me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi nomine *diei* præsens vita, nomine noctis, futura designatur. Quare Paulus ad Gal. VI. 10. hortatur: *ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Idem docet D. Thomas 2.2. qu. 13. art. 4. ad 2. Ratio convincens non potest dari alia, præter voluntatem Dei ita ordinantis, & quidem ex hac congruentia; quia beati jam sunt in termino, nec ultra possunt progredi: progrederen-

tur autem, si amplius mererentur, dignum ergo videtur, ut militiæ cursus, & viæ tempus cesset, dum præmia distribuuntur & plena pace omnes fruuntur.

235 Objic. contra Imum. Beati in patria impetrant nobis sua intercessione multa bona temporalia & spiritualia, sibique gloriam accidentalem merentur. Sed non sunt in statu viæ: ergo hic ad meritum non requiritur.

Respond. *conc.* quod beati multa nobis bona impetrent: sed *nego*, quod ea etiam de congruo *mereantur*, saltem modo; dici enim potest cum D. Thoma, quod adhuc qua viatores meruerint, ut Deus in patria eorum intercessionem exaudiat. Nam ut ait in 3. d. 18. q. 1. art. 2. ad 2. „ Beati non sunt in statu acquirendi secundum aliquid sui: & ideo „ nec sibi nec aliis merentur, quia, quod „ impetrant modo nobis, contingit ex hoc, „ quod prius dum viverent, meruerunt, ut hoc impetrarent. Idem docet 2. 2. q. 13. art. 4.

236 Resolutio II. Ad meritum de condigno requiritur, ut persona operans sit in statu gratiæ sanctificantis constituta. Videtur esse de fide contra Bajum, satis clare definitum a concilio Tridentino, quod Sess. 6. c. 16. docet, vitam æternam *Filiis* Dei misericorditer per Christum promissam, &

& bonis *eorum* operibus fideliter ex Dei promiſſione reddendam. Et eam 32. definivit, opera meritoria illa eſſe, quæ fiunt a juſtificatis per gratiam Dei, ut ſunt viva Chriſti membra. Sed ad hoc, ut ſint filii Dei, ut ſint juſtificati, ut ſint viva membra, requiritur gratia ſanctificans. *ergo &c.*

Prob. I. ex S. Script. Gen. IV. dicitur: 237
reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus. Ubi Gregorius M. lib. 22. Moral. c. 12. obſervat, hoc ideo dictum eſſe, quia offerens non eſt Deo gratus propter munera, ſed munera propter offerentem. Id etiam Christus luculentèr expreſſit Joan. XV. *Manete in me, & ego in vobis* (quod utique fit per gratiam ſanctificantem) *ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemet ipſo, niſi manſerit in vite, ſic & vos niſi in me manſeritis. ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere* (de condigno meritorium) Ut igitur quis mereatur de condigno vitam æternam, debet eſſe filius Dei: hoc non poteſt fieri niſi per gratiam ſanctificantem. *ergo &c.* Hoc inſinuat Paulus, dum ad Rom. VIII. nonniſi Spiritu adoptionis nos fieri filios Dei & hæredes vitæ æternæ docet: *ſi filii, & hæredes:* ſed filii adoptivi, & hæredes nonniſi per gratiam ſanctificantem efficimur: ergo nonniſi per eam vitam æter-

nam

nam meremur. Sed & alibi Scriptura docet, hominem, si per peccatum mortale gratiam amiserit, simul omnia amittere merita: sed si merita non dependerent a gratia, non esset ratio, cur una cum gratia amittantur & *mortificentur*, ut ajunt. *ergo. Maj.* patet ex Ezech. XVIII. *si averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus non recordabuntur.* An vero merita per peccatum mortificata per subsequentem pœnitentiam reviviscant, in tractatu de pœnitentia explicatur.

238 Prob. etiam ratione. I. est D. Thomæ, hic q. 114. art. 2. Ut quis mereatur vitam æternam de condigno, debent opera habere quamdam proportionem cum præmio vitæ æternæ: sed opera sine gratia sanctificante facta nullam habent proportionem; nam ut ait D. Thomas: „vita æterna est quoddam bonum excedens „proportionem animæ creatæ, quia etiam „excedit conditionem secundum illud „1. Cor. 2. *Nec oculus vidit, nec auris „audivit, nec in cor hominis ascendit*: & „inde est, quod nulla creatura est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur.„ Loquitur autem D. Thomas hic de gratia habituali, non actuali. Ut enim homo possit fieri hæres regni cælestis, quod totum

totum eſt ſupernaturale, & Divinum, debet habere eandem cum adoptante naturam, ſaltem per participationem: hanc vero nonniſi per gratiam ſanctificantem participat. *ergo &c.*

II. Si merita non dependerent a digni- 239
tate perſonæ, ſed ab ipſo ſolum opere, ſeu obedientia legis, ut vult Bajus, ſequeretur, quod merita Chriſti non fuerint infiniti valoris: opera enim ſecundum ſe ſpectata non videntur multum diſcrepare ab operibus reliquorum juſtorum: ſed ſequela non poteſt admitti; quoniam certum eſt, quod propter dignitatem perſonæ infinitæ merita quoque fuerint infiniti pretii. *ergo &c.*

III. Si non requiritur gratia ſanctificans, 240
tunc non baptizatus & peccator per gratiam actualem poterit mereri vitam æternam, modo legi obediat: ſed hoc admitti nequit; ſequitur enim, ejusmodi hominem ratione peccati originalis vel actualis dignum eſſe pœna æterna, & ratione meriti dignum vita æterna: quæ utique ſunt contradictoria.

IV. Si nondum regeneratus aut adopta- 241
tus poſſet de condigno mereri vitam æternam, poſſet etiam mereri condigne gratiam juſtificantem; quoniam gloria eſt gratia conſummata, & gratia eſt gloria inchoa-

inchoata: ſed gratiam juſtificantem non poteſt peccator de condigno mereri, ut conſtat ex conc. Trident. Seſſ. 6. c. 8. & infra dicetur. Quoniam principium meriti non cadit ſub meritum. *ergo &c.*

242 Objic. Contra ſecundam Reſol. Soli obſervantiæ mandatorum S. Scriptura vitam æternam promittit: ergo obedientia ſine gratia ſanctificante meritoria eſt. Ant. prob. ex Math. XIX., ubi Chriſtus ait: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

II. Deus foret acceptor perſonarum, ſi ſolum opera juſti, & non etiam peccatoris, cum ſint eadem, remuneraretur, quod vitium Deo repugnat.

III. Opus malum ex ſua natura meretur pœnam: ergo etiam bonum meretur præmium ſine exaltatione naturæ ad ſtatum Deificum.

Resp ad I. *Diſt. Ant.* Si mandata obſerventur ex amore, a filiis. *conc. nam ſi filii, & hæredes* ait Paulus. Si timore pœnæ, & a ſervis. *neg.* Dein, qui ſervat mandata *omnia*, debet etiam implere primum in lege, nempe dilectionem Dei ſuper omnia: quod nonniſi per gratiam ſanctificantem perfecte fieri poteſt.

Resp. ad II. Nego *ſeq.* hoc enim vitium tunc committitur quando judex reſpicit qualitatem perſonæ, quæ ad cauſam præſentem nihil pertinet: at vero ſtatus adoptionis maxime ad rem pertinet; cum nonniſi Filiis Deus hæreditatem & præmium æternum promiſerit. Rem exemplo illuſtrat Bellarminus. Nam ſi forte lex ſtatuta ſit a Principe, ut ſoli nobilium filii currant ad bravium aliquod a Rege propoſitum; non erit acceptor perſonæ judex, ſi ſolius nobilitatis rationem habens plebejum excludat.

Resp. ad III. nego *conſeq.* Diſparitas eſt; quoniam ad peccandum homo ſibi ſoli ſufficit, cum etiamſi pœna nulla ſtatuta eſſet, ex ipſo rationis dictamine actiones ſuas ad rectam rationem componere, & a peccato abſtinere teneatur: quæcunque autem bona facit, cum ſint debita, nullum iis debetur præmium, niſi Deus gratuito pacto illud homini promittere velit; quod hac conditione factum eſt a Deo, qui nonniſi filiis adoptivis vitam æternam promiſit.

§. VI.

§. VI.

De conditione ultima ex parte Dei requiſita, nimirum gratuita Dei promiſſione & pacto.

243 Certum videtur, Deum de facto bonis juſtorum operibus promiſiſſe retributionem; quid enim aliud ſonat illa Chriſti promiſſio Math. XIX. 19. *omnis, qui reliquerit domum vel fratres &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et Apoc. II. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coranam vitæ.* An vero iſta promiſſio *neceſſario* requiratur, ita, ut niſi Deus gratuito bonis juſti operibus ex gratia factis mercedem paciſci vel promittere voluiſſet, iis præmium nullo modo fuiſſet debitum, nunc breviter explicandum eſt. Bajus docuit, opera bona ex ſua natura eſſe vitæ æternæ meritoria de condigno, ita ut nulla Dei promiſſione aut pacto gratuito indigeant. Hunc ſuum errorem pro operibus ſtatus naturæ lapſæ aſſeruit propoſitione inter damnatas 2. his verbis: *ſicut opus malum ex ſua natura eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.* & 11. *Quod pie & juſte in hac vita mortali uſque in finem vitæ converſati vitam conſequamur æternam, id non proprie gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ*

constitutæ justo Dei judicio deputandum est; nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur. Id multo magis asserit de operibus status naturæ integræ & innocentis propos. 1. & 3. seq. usque ad 10. VASQUESIUS negat, requiri ad meritum ullam promissionem aut pactum ex parte remunerantis, existimans, actum eo ipso esse vitæ æternæ meritorium, si ex gratia & charitate procedat. SCOTUS ita promissionem necessariam arbitratur, ut intrinsecam & formalem meriti rationem constituat. Quidam ex Thomistis duplicem distinguunt ordinationem operis præmium. Unam vocant *intrinsecam*, quæ includitur in voluntate conferendi gratiam tamquam principium merendi. Alteram *extrinsecam*, quæ consistit in actu positivo Dei libero, quo promittit beatitudinem gloriæ æternæ pro operibus supernaturalibus a gratia & charitate procedentibus. GONETUS aliique Thomistæ primam, nempe intrinsecam solam necessariam agnoscunt: alii cum BELLARMINO, SALMANTICENSIBUS, Card. GOTTI, & BERTI extrinsecam, quæ sententia ad refutandos Lutheranos aptior videtur. Alii utramque requirunt.

RESOLUTIO. Ut opera justorum sint de 244
condigno meritoria, requiritur ex parte Dei gratuita promissio mercedis; non quod illa

ex hoc pacto suum valorem & dignitatem acquirant, utpote quam habent ex gratia sanctificante: sed quia sine hac promissione *extrinseca* non habent jus ad vitam æternam.

PROB. I. Hæc sententia videtur conformior Concilio TRIDENTINO, quod Sess. VI. Cap. 16. declarat: „ bene operantibus usque „ in finem & in Deo sperantibus proponen- „ da est vita æterna, & tamquam *gratia* fi- „ liis Dei per Christum JESUM misericor- „ diter promissa, & tamquam *merces* ex ipsius „ Dei *promissione* bonis ipsorum operibus & „ meritis fideliter reddenda. „ Vide etiam Can. 26. hìc Trident. duplicem agnoscit promissionem; unam, de danda gloria tamquam *gratia* ex meritis Christi: alteram de ea reddenda ut *mercede* meritis debita. Id ipsum insinuat S. Scriptura, quæ *coronam vitæ* ex promissione perseverantibus reddendam plurimis in locis jam sæpius citatis declarat.

245 PROB. II. Ratione. Meritum de condigno debet operanti jus conferre ad præmium, & Deum constituere debitorem præmii: sed opus meritorium sine gratuita Dei promissione non confert homini jus ad præmium, nec Deum constituit debitorem: *ergo* &c. *Maj.* videtur certa. *Min. prob.* ex S. AUGUSTINO & D. THOMA, qui docent, Deum non esse nobis *absolute* debitorem, sed supposita promissione, vi cujus potius *sibi* debet, & suæ fidelitati. Verba D. AUGUSTINI serm. 16. de verbis Apost.

Apoſt. ſunt iſta: „ Debitor nobis factus eſt
„ Deus, non aliquid accipiendo, ſed quod ei
„ placuit, promittendo; aliter enim dicimus
„ homini, debes mihi, qui dedit tibi, & ali-
„ ter dicimus: debes mihi, quia promiſiſti
„ mihi. Deo igitur quid dicimus: redde
„ mihi, quia dedi tibi? quid dedimus Deo,
„ quando quod ſumus, & quod habemus
„ boni, ab illo habemus? nihil ergo ei de-
„ dimus: non eſt quemadmodum iſta voce
„ exigamus debitorem Deum. Illo ergo mo-
„ do poſſumus exigere Dominum noſtrum:
„ redde, quod promiſiſti, qui fecimus,
„ quod juſſiſti, & hoc tu feciſti, quia labo-
„ rantes juviſti. „ Et D. THOMAS. hic q. 114.
art. 1. ad 3. „Non efficitur (Deus) ſimplici-
„ ter debitor nobis, ſed ſibi ipſi, in quantum
„ debitum eſt, ut ſua ordinatio impleatur. „
1. 2. q. 114. art. 1. Meritum hominis apud
Deum eſſe non poteſt, niſi ſecundum præ-
ſuppoſitionem divinæ ordinationis. Eadem
min. prob. II. Quando opera noſtra plurimis
titulis ſunt Deo debita, tunc non conferunt
jus ad præmium, niſi gratuita accedat pro-
miſſio, ut patet in ſervis & mancipiis: ſed
opera noſtra ſunt Deo debita titulo creatio-
nis, conſervationis, redemptionis, ſanctifica-
tionis &c. *Ergo.* Idem S. AUGUSTINUS ſerm.
3. de verbis Dom. exclamat: „ O magna bo-
„ nitas Dei, cui cum pro conditione redde-
„ re debeamus obſequia ut ſervi Domino,
„ famuli Deo, ſubjecti potenti, mancipia re-

 „ dem-

„ demptori, amicitiarum nobis præmia pro-
„ mittit.

246 Prob. III. Ad completam rationem meriti non ſufficit ſola dignitas operis, etiamſi foret æqualis præmio: ergo requiritur gratuita Dei promiſſio. *Ant. prob.* Etiamſi opera Chriſti fuerint infiniti valoris, dignitatis & pretii, ita, ut potuiſſent mereri incarnationem alterius divinæ perſonæ, aut dæmonum redemptionem, aut omnium hominum prædeſtinationem &c. illa tamen de facto non meruerunt, quia ad ejusmodi præmium non fuerant ordinata: *ergo* &c. *Ant. prob.* II. Quamvis opera Beatorum eandem condignitatem & majorem perfectionem habeant, quam viatorum, de facto tamen apud Deum non merentur; quia non ſunt a Deo ad præmium ordinata: *ergo* &c. Nec ſufficit, ſi adverſarii dicant, rationem eſſe, quia non ſunt opera viatoris.

Sed repono. Hoc ipſum, quod opera viatoris, non autem comprehenſoris ſint meritoria, ex Dei ordinatione & gratuita promiſſione provenit.

247 Prob. IV. Si bona juſtorum opera ſine promiſſione forent meritoria vitæ æternæ, tunc Chriſtus nobis non fuiſſet *directe* promeritus æternam beatitudinem, ſed ſolum *indirecte*, quatenus meruiſſet nobis gratiam & perſeverantiam: ſed hoc nequit admitti; certum eſt enim, Chriſtum non minus *directe* nobis meruiſſe gratiam quam gloriam, ut colli-

colligitur ex Can. 26. TRIDENTINI Concil. ſeſſ. 6. *Ergo. ſeq.* vero *prob.* Quia ſi operibus ex gratia factis ſecluſo omni pacto deberetur vita æterna, ea etiam reddenda foret ſine reſpectu ad meritum Chriſti, & caſu, quo nobis ſolum gratiam, non vero gloriam fuiſſet promeritus: hoc autem derogat Chriſti merito &c.

Quod autem ſuppoſita Dei promiſſione 248
opera ex gratia facta intrinſecam condignitatem & proportionem cum gloria habeant, eamque non habeant a promiſſione Dei, nec per eam tamquam *rationem formalem* meritoria efficiantur, videtur certum contra Scotiſtas; quia dignitas operis intrinſeca a gratia ſanctificante provenit, quæ facit juſtum divinæ naturæ participem, ipſaque opera ſupernaturalia & proportionata cum vita æterna reddit. Si enim extrinſeca Dei ordinatione ipſa meriti de condigno ratio intrinſeca conſtituatur, tunc poterit Deus etiam actus virtutum naturales ad æternam beatitudinem ordinare: quod abſurdum videtur; quia inter naturale & ſupernaturale nulla eſt proportio, cum toto ordine diſtinguantur. Eſt hoc Corollarium etiam contra Proteſtantes, qui rationem meriti in ſola Dei ordinatione conſtituunt, non attenta dignitate aut proportione operis, quam negant. Dicunt enim, non aliter deberi noſtris operibus vitam æternam, quam deberetur regnum levanti feſtucam, ſi illi fuiſſet promiſſum.

Sed jam ſupra oſtenſum eſt, opera ex gratia facta eſſe de condigno meritoria, & habere proportionem cum vita æterna.

249 Objic. I. Opera juſti habent intrinſecam condignitatem ad præmium, præſcindendo a promiſſione: modo ex gratia & charitate procedant: ergo ſunt meritoria ſine promiſſione gratuita, conſequenter hæc non requiritur.

Resp. Nego *Conſ.* quia opus aliunde debitum non meretur præmium, niſi gratuita promiſſio acceſſerit, ut patet ex dictis.

250 Objic. II. Peccata ſunt de condigno meritoria pœnæ ſine alia ordinatione: ergo etiam opera bona præmii.

Resp. Diſparitas eſt; quia, ſi ſervus omittit bonum, aut committit malum, quod per ſe præſtare vel vitare tenetur, hoc ipſo ſe reum pœnæ conſtituit. Econtra ſi facit bonum, quod debet multis titulis, non fit creditor Domini, niſi ille gratuito mercedem pactus fuerit. Videtur etiam hoc argumentum involvere propoſ. 2dam Baji damnatam.

251 Objic. III. Eo ipſo, quod Dominus præcipiat laborem, vel non præceptum approbet & ratihabeat, ſervus meretur de condigno mercedem, etſi nulla ſtipulatio intervenerit. *Ergo* etiam &c.

Resp.

Resp. *Diſt.* Vel enim ſervi, ad quos dirigitur præceptum, ſunt Domini, vel alieni? ſi proprii; nihil merentur abſque promiſſione, quia faciunt, quod debent. Si alieni, & Domino vineæ non obſtricti; eo ipſo cenſetur Dominus implicite cum iis paciſci. Jam vero juſti ſervi ſunt Dei, & omnia opera Domino debent: ideoque ſine pacto non habent jus petendi mercedem.

Hucusque de conditionibus ad meritum de 252
condigno requiſitis ſermo fuit. At vero ad meritum de congruo non omnes eſſe neceſſarias, clarum videtur. Eo ipſo, quod eidem præmium ſtricto jure non debeatur, ſed a liberalitate præmiantis dependeat, quid ejusmodi operibus retribuere velit. Sufficit ergo ad opus de congruo meritorium, ut ſit opus bonum, liberum, ſupernaturale, id eſt, a gratia actuali præveniente & ab homine viatore procedens, conſequenter gratia ſanctificans, imperium charitatis, & ordinatio ſeu promiſſio Dei neceſſario & regulariter non requiritur. Nam quod priores duas attinet conditiones, ſcilicet gratiam & charitatem, iſtæ faciunt opus de condigno meritorium. Promiſſio vero faceret Deum debitorem ſibi, quod videtur merito de congruo repugnare; tunc enim Deus præmium promiſſionis citra injuſtitiam aut infidelitatem non poſſet denegare. Sed de hoc mox plura.

§. VII.

De objecto meriti, an quis sibi vel alteri primam gratiam mereri valeat?

253 ILla, quæ homo mereri poteſt, ſunt bona, & illa vel ſpiritualia & ſupernaturalia, vel temporalia & naturalia. Primi generis ſunt bona gratiæ, & bona gloriæ. Nomine gratiæ comprehenduntur actualis præveniens, & habitualis, ſeu juſtificans, ejusque augmentum, ac etiam ſingulare donum perſeverantiæ. Hoc autem loco non quæritur de prima gratia actuali præveniente, qua homo ad fidem & ipſam juſtificationem diſponitur; hanc enim prorſus gratuitam eſſe, & omne meritum ſive de congruo, ſive de condigno excludere, contra Pelagianos definitum, & Tomo VI. de gratia actuali ſatis pertractatum eſt. Itaque de *habituali* ſeu juſtificante inquiritur, an eam homo ſibi vel aliis ſive de condigno aut ſaltem de congruo promereri poſſit. Solent vero Theologi duplex diſtinguere meritum de congruo: unum ſtricte & proprie: alterum improprie & late tale. Prius eſt, quod fundatur in jure amicabili & congruitate ipſius perſonæ operantis, quæ cum Deo grata ſit, condecens eſt, ut Deus eandem exaudiat, ſuamque liberalitatem erga eam exerceat. Diſtinguitur autem per hoc a merito de condigno

digno, quod huic ex juſtitia & pacto, adeoque jure, merces debeatur: cum illud econtra nonniſi a divina liberalitate erga amicum exercenda quiddam exſpectet. Meritum de congruo late & improprie ſumitur pro quacumque exigentia formæ ſeu diſpoſitione ad eandem, & innititur ſoli divinæ miſericordiæ, quatenus congruum eſt, ut intuitu non ipſius perſonæ, utpote nondum in amicitia conſtitutæ, nec Deo gratæ, ſed ratione ipſius operis, ex gratia actuali facti, tamquam diſpoſitionis, formam ſeu gratiam conferat, adeoque potius diſpoſitio, ſeu impetratio, quam meritum dici deberet. His obſervatis ſtatuitur

Resolutio I. Homo nec de condigno, 254
nec de congruo ſtricte ſumto primam gratiam ſibi mereri poteſt, bene vero merito de congruo late ſumto. Eſt quoad primam partem de fide, quoad reliquas communis.

Prob. I. pars. Rom. III. 24. Dicimus *juſtificati gratis per gratiam ipſius*: quod Trid. Concil. Seſſ. 6. C. 8. ideo dici explicat, *quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promerentur.* Et ad Tit. III. 5. *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.* Ratio in promptu eſt: Ad meritum enim de condigno requiritur, ut homo

ſit in ſtatu gratiæ ſanctificantis conſtitutus, ut N. 236. probatum eſt: atqui ejusmodi homo, qui mereretur primam gratiam, ſupponitur gratia ſanctificante deſtitutus: *ergo*. Unde Theologicum illud oritur axioma: *Principium meriti non cadit ſub meritum*. Secus effectus conſiſteret ante cauſam. Jam vero gratia ſanctificans eſt totius meriti principium; niſi enim perſona Deo grata ſit, nullum jus exigendi præmii habet.

255 Prob. II. & III. pars. Meritum de congruo ſtricte ſumtum fundatur in jure amicabili & dignitate perſonæ, quatenus condecens eſt, ut Deus erga amicum ſuum exerceat liberalitatem, eumque exaudiat: ſed homo prima gratia, ſeu ſanctificante deſtitutus, non eſt amicus, nec gratus Deo: *ergo* &c. Quod vero per actus contritionis & charitatis, aliosque ex gratia elicitos *de congruo late ſumto* peccator gratiam ſanctificantem promereatur, facile patet; quoniam per ejusmodi actus ſe ad eam remote & proxime diſponit, & ipſam juſtitiam impetrat, congruum eſt enim, ut Deus ſubjecto rite diſpoſito formam infundat, ut etiam in naturalibus fieri ſolet. Hoc ſenſu intelligendus eſt S. Auguſt. dum epiſt. 105. ad Sixtum modo 194. ſcribit: „ Neque ipſa remiſſio „ peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fi„ des hanc impetrat: neque enim nullum „ eſt meritum fidei. „

Objic.

Objic. I. Contritio perfecta meretur de condigno gratiam sanctificantem, est enim cum ea infallibiliter connexa, & habet divinam promissionem de conferenda gratia ex illo Zach. I. 3. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: ergo.* 256

Resp. Nego *antec.* Si enim contritio supponatur ut præcedens justificationem tamquam dispositio, non potest de condigno mereri, defectu gratiæ sanctificantis, quæ est conditio necessario requisita: si autem supponatur tamquam effectus formalis a gratia habituali procedens, tunc hoc ipso tamquam posterior non potest mereri gratiam ut sui causam, sed solum gratiæ augmentum. An vero contritio ut ultima dispositio procedat effective ab ipsa gratia habituali, an vero ab aliquo auxilio actuali, litigant Theologi: quam controversiam nolo facere meam. Sed quæcumque sententia præplaceat, & etiamsi quis dicere velit, quod contritio, ut est dispositio, effective procedat a gratia habituali, dicat necesse est, gratiam habitualem tunc habere se solum per modum auxilii transeuntis, non vero adhuc justificantis.

Objic. II. Si justus non posset mereri gratiam sanctificantem, tunc ideo, quia est principium meriti, quod non cadit sub meritum: sed hæc ratio nulla est: *ergo. min. prob.* Etiamsi Incarnatio verbi divini sit principium 257

cipium omnis meriti tam de condigno quam congruo: attamen SS. PP. V. testamenti eam meruerunt saltem de congruo. Ergo a pari.

Resp. Nego *min.* ad prob. dist. Incarnatio in *intentione* spectata, est principium omnis meriti. *conc.* in *executione nego.* Et insuper quod SS. Patriarchæ eam *ut in intentione spectatam* meruerint. Incarnatio in intentione spectata est causa finalis & principium omnis meriti; intuitu enim incarnationis & ex vi meritorum Christi prævisorum fuit antiquis PP. collata prima gratia, ex qua tamquam principio & conditione suis denique operibus de congruo meruerunt executionem incarnationis. Itaque disparitas inter gratiam & incarnationem est ista. Incarnatio in intentione spectata est causa sui ipsius in executione ponendæ, quod non repugnat: sicut sanitas apprehensa ut finis, est causa sui ipsius in executione; econtra si gratia prima justificans caderet sub merito, esset causa & effectus sui ipsius in eodem ordine executionis.

258 Resolutio II. Justus potest alteri mereri gratiam primam sive actualem sive habitualem, non quidem de condigno, sed tamen de congruo etiam stricte sumto. Ita D. Thomas hic. quæst. 114. art. 6.

Prob. I. pars. Nihil potest homo mereri de condigno, nisi id, ad quod opera hominis per gratiam moventur, & a Deo ordinan-

nantur; ad meritum enim requiritur Dei ordinatio & gratuita promiſſio: ſed opera hominis juſti non ſunt a Deo ordinata ad gratiam promerendam alteri, ſed ad propriam ſanctitatem & gloriam, ejusque augmentum; in hoc enim gratiæ *gratum facientes* diſtinguuntur maxime a gratiis *gratis datis*, quod hæ primario ad ſalutem aliorum, illæ vero ad ſalutem recipientis ordinatæ ſint: *ergo* &c. Accedit, quod hæc prærogativa aliis de condigno promerendi, ſit propria Chriſto tamquam capiti Eccleſiæ, ut ex eo in reliqua membra gratia adoptionis propagetur: ſi enim purus homo id potuiſſet præſtare, tunc non fuiſſet neceſſaria Chriſti incarnatio ad promerendam nobis vitam æternam, ſed ſolum ad hoc, ut pro peccatis noſtris rigoroſe ſatisfaceret. Jam vero utroque fine carnem aſſumſit, ut deleret peccatum, faceretque nos regni cœleſtis hæredes. Huc reſpexit Leo M. epiſt. 97. ad Leonem Auguſt. Imperat. Cap. 2. ſcribens: „ Quamvis multorum „ Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa „ mors fuerit, nullius tamen inſontis occi- „ ſio redemptio fuit merendi: acceperunt „ juſti: non dedere coronas, & de forti- „ tudine fidelium exempla nata ſunt pa- „ tientiæ, non dona juſtitiæ. „

Prob. II. pars. Nam ut ait D. Thomas 259
hic in terminis: „ merito congrui poteſt „ aliquis alteri mereri primam gratiam; quia „ enim homo in gratia conſtitutus implet

Dei

„ Dei voluntatem, congruum eſt, ſecun„ dum amicitiæ proportionem, ut Deus „ impleat hominis voluntatem in ſalvatione „ alterius. Licet quandoque poſſit haberi „ impedimentum ex parte illius, cujus ali„ quis Sanctus juſtificationem deſiderat. „ Colligitur etiam ex S. Scriptura: nam Chriſtus ad aliorum preces paralytico peccata remiſit, ut refert Math. IX. *Videns JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili! remittuntur tibi peccata tua.* Inſuper & Jacobus Cap. ultimo hortatur nos: *Orate pro invicem, ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Teſtatur quoque S. Augustinus Serm. 4. de Sanctis modo 382. Saulum S. Stephani precibus pro lapidantibus orantis fuiſſe converſum: *Si Martyr Stephanus non ſic oraſſet*, ait, *Eccleſia Paulum hodie non haberet.* Sed & ipſius Augustini converſionem matris ſuæ lacrymis Eccleſia adſcribit, dum ita orat: *Deus, qui B. Monicæ pias lacrymas in converſione filii ſui Auguſtini miſericorditer ſuſcepiſti* &c.

260 Resolutio III. Juſtus de condigno meretur non ſolum augmentum gratiæ, ſed etiam gloriam, & quidem primum quoque ejus gradum, primæ gratiæ habituali reſpondentem. Ita Tridentinum Concilium, ſeſſ. 6. Can. 32. definit: „ Si quis dixerit, „ juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo „ per Dei gratiam & JESU Chriſti meri„ tum, cujus vivum membrum eſt, fiunt,

non

„ *non vere* mereri augmentum gratiæ, vitam „ æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen „ in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque „ etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.„ In quo textu per τὸ *vere* meritum de condigno inſinuatur: Id enim principaliter negabant hæretici bonis juſti operibus.

Prob. I. pars ex S. Scriptura, quæ ſæpe teſtatur, per opera bona augeri juſtitiam, nempe habitualem, quæ in gratia ſanctificante conſiſtit. Sic de Abraham Paulus Rom. IV. *Reputata eſt fides Abrahæ ad juſtitiam.* Et Jacob. II. de eodem: *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum? Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt.* Ubi de juſtificatione non prima, ſed ejus augmento ſermo eſſe poteſt; quoniam Abraham, dum filium ſuum immolare volebat, tunc jam juſtus erat: ſed obedientia, & fide juſtitiæ augmentum promeritus eſt.

Prob. II. Ratione, qua utitur D. Thomas 261
hic art. 8. Illud juſtus meretur de condigno, ad quod ſe gratia extendit & ordinatur: gratia autem non ſolum ſe extendit ad ultimum terminum, qui eſt gloria æterna, ſed etiam ad totum progreſſum ad vitam æternam. Ille autem progreſſus eſt ſecundum augmentum gratiæ & charitatis; quoniam pro quantitate charitatis & gratiæ au-

gebi-

gebitur etiam gloria vitæ æternæ, ut certum eſt contra JOVINIANUM. *ergo* &c. Sic igitur concludit, *augmentum gratiæ cadit ſub merito condigni.*

Altera ratio eſt, quoniam opera juſti, reſpectu augmenti gratiæ, habent omnia requiſita ad meritum condignum neceſſaria, ut examinanti patebit.

262 PROB. II. pars. Et quidem opera juſti de condigno meritoria eſſe vitæ æternæ, jam ſupra a n. 186. declaratum eſt: neque etiam de augmento gloriæ ullum dubium eſt; quoniam id diſſertis verbis affirmat Concil. Trid. n. 260. ex quo etiam colligitur, ipſum primum gradum gloriæ primæ, gratiæ habituali reſpondentem, ſub meritum cadere; quoniam Trid. dicit, juſtum mereri vitam æternam, ejus conſecutionem, & gloriæ augmentum. Nomine vitæ æternæ nihil poteſt aliud intelligi, niſi primus gradus gloriæ. Aliter vero loquitur de gratia; non enim ait, quod juſtus mereatur gratiam, quo nomine intelligeretur prima habitualis: ſed tantum ejus *augmentum*: ergo dum dicit, quod juſtus mereatur *vitam æternam, & ejus augmentum*, ipſum quoque primum gradum gloriæ promeretur.

263 PROB. Ratione. Ideo juſtus non poteſt mereri primam gratiam, quia hæc eſt principium meriti: ergo quia prima gloria non eſt principium, ſed terminus meriti,

eam

eam justus mereri poterit. Itaque actibus contritionis & charitatis in instanti justificationis elicitis, qui ut effectus formales a gratia sanctificante informati procedunt, quamvis in genere causæ materialis dispositive natura priores sint ipsa gratia, & ut tales forte nonnisi a gratia actuali proveniant, sicque etiam tempore præcedant, de quo litigant scholastici, his inquam actibus prima gloria respondet; ut adeo vita æterna, quatenus est hæreditas, gratiæ habituali, quatenus est merces, actui charitatis per gratiam formato & meritorio de condigno debeatur. Audiatur etiam D. Thomas hic quæst. 112. art. 2. ad 1. „ Præparatio hominis ad gratiam habendam quædam est simul cum ipsa in„ fusione gratiæ, & talis operatio est qui„ dem meritoria, sed non gratiæ, quæ „ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum „ habetur. „

§. VIII.

An justus sibi vel aliis reparationem post lapsum, aut donum perseverantiæ de condigno vel congruo mereri possit?

Quæstio versatur in eo, an homo eo tempore, quo est in gratia sanctifi-

cante constitutus, suis meritis id possit apud Deum efficere, ut si forte humana fragilitate per mortale peccatum a statu justitiæ excidat, intuitu priorum operum in pristinum gratiæ statum restitui mereatur: cui quæstioni respondet

264 RESOLUTIO I. Justus nec de condigno nec congruo stricte, sed solum large sumto sibi, alteri vero de congruo proprie accepto reparationem post lapsum mereri potest. Ita D. THOMAS hic q. 114. art. 7.

PROB. I. de merito condigno. Si justus posset mereri reparationem post lapsum, tunc Deus eo tempore, quo justus de statu justitiæ in peccatum mortale prolapsus est, deberet habere rationem meritorum, quæ ante lapsum in statu gratiæ sanctificantis exercuerat: sed Deus nullam habet rationem meritorum antecedentium. *ergo &c. min. prob.* Merita per peccatum mortale prorsus mortificantur. ut patet ex illo Ezechiel. XVIII. 24. *Si autem avertit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem ... omnes justitiæ ejus non recordabuntur.* & XXXIII. 13. *Etiamsi dixero justo quod vita vivat, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur.* Ergo nullam meritorum priorum habet Deus rationem, consequenter homo amisit omne jus ad reparationem: & hoc ipso meritum de condigno

digno nihil operatur. II. Ex adverſa ſententia ſequeretur, quod qui ſemel eſt juſtus, & per longum tempus in ſtudio bonorum operum ſe exercuit, non poſſit damnari; etiamſi enim in peccatum lethale labatur, attamen vi meriti de condigno jus haberet ad reparationem; & ulterius ſequeretur, quod ſaltem juſtificatio ſecunda ejusmodi hominis non eſſet *gratuita*, contra Conc. Trid. imo contra PAULUM. Nullum horum poteſt admitti.

PROB. II. Quoad meritum congrui ſtricte 265
ſumti. Si homo poſſet de congruo proprie mereri reparationem, tunc vel eo tempore, quo erat juſtus, vel quo eſt in ſtatu peccati mortalis: nullo tempore: ergo. *min. prob.* Non tempore ſtatus gratiæ; quoniam teſte ſcriptura omnia merita per peccatum ſubſequens mortificantur, conſequenter nihil operari poſſunt. Non tempore ſtatus peccati; quia meritum congrui ſtricte ſumti fundatur in jure amicabili perſonæ Deo gratæ: at eo tempore, quo homo eſt in peccato mortali, non eſt Deo gratus. *ergo &c.*

Quod vero reparationem poſt lapſum 266
mereri large & improprie poſſit, patet ex §. præcedente; quia per actus virtutum cum gratia ſupernaturali ad habitualem ſe poteſt diſponere. Sicut ergo hoc modo poteſt mereri primam gratiam, ita

etiam reparationem poſt lapſum. Ex his facile etiam eruitur probatio ultimæ partis; cum enim juſtus poſſit alteri de congruo ſtricto mereri primam infuſionem ex jure quodam amicitiæ, ita etiam reparationem, ex N. 165.

267 Objic. I. II. Paralip. XIX. propheta dicit ad Regem Josaphat: *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inventa ſunt in te.* ergo juſtus per opera bona ſaltem *de congruo* meretur reparationem poſt lapſum.

Resp. Forte Joſaphat eo caſu non graviter peccaverat, ſed ex infirmitate vel ignorantia, & ideo merita ipſius non fuerant mortificata, ſed intuitu illorum temporalis pœna, quam forte incurriſſet, ipſi fuit remiſſa: ſi autem ſupponitur, eum graviter deliquiſſe, præbendo auxilium Regi Iſraelis, tunc dicendum, quod bona opera, utpote mortificata, non fuerint meritoria *proprie*, ſed abuſive, quatenus dicunt *impetrationem* alicujus beneficii. Vel adhuc dici poteſt, quod per *opera bona*, quæ ſcriptura dicit in Joſaphato fuiſſe inventa, non fuerint illa prioris ſtatus juſtitiæ, ſed præſentis, per quæ ad juſtificationem ſe diſponere, eamque *de congruo* late ſumto mereri ſatagebat.

Objic.

OBJIC. II. S. THOMAS 2.2. q. 186. art. 10. 268
docet, Religioſum, ſi graviter peccaverit, citius reſurgere a lapſu, quam alii, qui virtutis ſtudio non incumbunt; quia Religioſi perfecti ſunt. Hæc autem differentia non poteſt fundari, niſi in meritis præcedentibus Religioſi, quatenus congruum eſt, ut Deus intuitu eorum reparationem poſt lapſum conferat.

RESP. Religioſos ideo facilius ſurgere 1. quia habitus vitiorum ordinarie non ſunt adeo radicati. 2. Quia etiam poſt lapſum vacant facilius virtutum ſtudio, & alia plurima remedia ad manum habent, quibus ad reparationem diſponuntur: quibus tamen ut plurimum homines ſeculares deſtituti ſunt. Quod ſi autem contingeret, ut religioſus non ex fragilitate, ſed ex contemtu peccet, tunc non ſolum facilius non reſurgit: ſed peſſimus fit, ut obſervat S. THOMAS loco cit. ad 3. ubi ait:
„ ſi autem perveniant ad hoc, quod ex
„ contemtu peccent, efficiuntur peſſimi,
„ & maxime incorrigibiles ſecundum illud
„ Jerem. 2. *confregiſti jugum, dirupiſti vin-*
„ *cula, dixiſti, non ſerviam. In omni colle*
„ *ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu*
„ *proſternebaris meretrix.* Unde Auguſti-
„ nus dicit epiſt. 137. ad plebem Hippo-
„ nenſem: *ex quo Deo ſervire cœpi, quo-*
„ *modo difficile expertus ſum meliores, quam*
„ *qui in monaſteriis profecerunt, ita non*

„ *ſum expertus pejores , quam qui in mona-*
„ *ſteriis ceciderunt.*

269 Quoad alteram quæſtionem , an juſtus de *condigno* , aut *congruo* perſeverantiam mereri valeat, non nulla prævie obſervanda ſunt. Et quidem Gonetus cum Salmanticenſibus ad fidem pertinere ait , quod perſeverantiam finalem nemo de *condigno* mereri valeat : quamvis hanc definitionem dogmaticam nullibi invenire potuerim. Horreo ego illos Theologos , qui ſuas opiniones , nunquam ab Eccleſia adoptatas , nec ad credendum propoſitas , ceu fidei dogmata obtrudere ſolent. Ne igitur in rigidam ejusmodi cenſorum ferulam ſententia mea incurrat , & immerito vapulet , iſtam quæſtionem paullo accuratius exponere neceſſarium duxi. Finalis perſeverantiæ nomine intelligitur gratia ſanctificans , uſque ad ultimum vitæ momentum conſervata , & cum morte conjuncta , ut patet ex dictis Tom. VI. pag. 193. ſeq. Hæc autem vel *in intentione* , vel *in exſecutione* conſiderari poteſt. Priore modo ſpectata, eſt effectus gratuitæ prædeſtinationis , quæ quoniam ſecundum omnes Auguſtinianos & Thomiſtas nullo modo a præviſis meritis pendet , ideo & perſeverantia in intentione gratuito decernitur , & a nullo merito , ſive condigno, ſive congruo , pendet. Illa vero in executione ſpectata , eſt ipſa gratia ſanctificans,

cans, primo quidem *gratis* concessa, deinde autem per proprios hominis actus ad mortem usque conservata, & cum gloria conjungenda.

Hæc ipsa autem finalis perseverantia *in* 270
executione spectata, iterum considerari potest, vel *adæquate*, quatenus complectitur universam gratiarum seriem, a prima vocatione & justificatione usque ad ultimum vitæ momentum, quo gratia sanctificans cum morte conjungitur. Et ita nemo non videt, eam sub merito de *condigno*, aut *de congruo stricte* tali non cadere; quoniam involvit primam gratiam actualem, quæ non secundum merita datur; & sanctificantem, quæ totius *meriti principium* est, quod, ut Theologorum fert axioma, *non cadit sub meritum.* Vel considerari potest *inadæquate*, quatenus gratiæ sanctificantis, gratis & sine ullo merito proprie tali concessæ, dicit conservationem usque ad mortem. Et de hac procedit quæstio, an eam *justus*, *adultus*, *prædestinatus*, de condigno vel congruo mereri possit.

Dixi autem: *justus*, *adultus*, *prædestina-* 271
tus. *Peccator* enim gratia sanctificante, ceu omnis meriti principio, destitutus, nihil de condigno mereri valet. *Parvuli*, aut amentes, usu rationis deficiente, nullius meriti capaces sunt, & ubi in gratia decesserint, vitam æternam nullo *mercedis*,

ſed ſolo *hæreditatis* gratuitæ titulo conſequuntur. Cum autem prædeſtinatorum numerus determinatus ſit, cui nullus in tempore additur, nullus demitur, ut non uno in loco, præſertim autem lib. de corrept. & gratia. cap. 13. docet AUGUSTINUS; eo ipſo ſequitur, non niſi de homine in intentione gratis prædeſtinato quæri, an perſeverantiam finalem *in exſecutione* mereri valeat: licet tamen non ſemper *actu* mereatur; quia contingere poteſt, ut immediate poſt acceptam juſtificationis gratiam prius ex hac vita rapiatur, quam per actus proprios ſubſequentes quidpiam mereri potuerit. His itaque obſervatis ſtatuitur

272 RESOLUTIO II. An juſtus adultus & prædeſtinatus perſeverantiam in exſecutione & inadæquate ſpectatam de condigno mereri valeat, ad fidem non pertinet: & ſententia affirmativa probabilior mihi videtur.

PROB. I. pars. *Negative*; quia neque ex verbo Dei ſcripto, neque tradito, nec ex ulla Eccleſiæ definitione oſtendi poteſt, juſto prædeſtinato hanc merendi facultatem ademtam eſſe. Hinc ſubintrat regula fidei generalis a VERONIO tradita, & ab omnibus fere recepta: „ Illud omne „ & ſolum eſt de fide catholica, quod eſt „ revelatum in verbo Dei & propoſitum

, omni-

„ omnibus ab Eccleſia catholica fide Di-
„ vina credendum. „ Atqui ſententia ne-
gans, non ita propoſita eſt, ut e ſolu-
tione objectionum conſtabit. *ergo.*

PROB. II. pars. Juſti, adulti, & præde- 273
ſt nati opera, omnibus ſunt inſtructa con-
ditionibus, ad perſeverantiam de condig-
no promerendam requiſitis. ergo poteſt
mereri. *Ant. prob.* Oratio juſti prædeſti-
nati pro conſequendo perſeverantiæ do-
no ad Deum cum fervore, & fideliter ef-
fuſa, eſt opus bonum, ſupernaturale, li-
berum, per charitatem ad Deum ordina-
tum, eſt opus viatoris, in gratia ſanctifi-
cante conſtituti, & ex Dei promiſſione
ad præmium ordinatum. Vel, ſi ex om-
nibus conditionibus una deficeret, tunc
iſta, quod finalis perſeverantia, ceu do-
num ſingulare, bonis juſti operibus pro-
miſſa non fuerit. Atqui promiſſa fuit.
ergo. Min. Prob. I. e S. Scriptura. CHRI-
STUS omni orationi ſalutari, & *ut oportet*
factæ, cujusmodi eſt oratio juſti pro do-
no perſeverantiæ, promiſit conſecutionem
boni cum fiducia poſtulati. Ita Marci XI.
24. *Amen dico vobis omnia quæcun-
que orantes petitis, credite* (confidite) *quia
accipietis, & venient vobis.* Luc. XI. 9. ſeq.
*Petite, & dabitur vobis, quærite, & inve-
nietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis
enim qui petit, accipit; & qui quærit, in-
venit; & pulſanti aperietur . . , ſi ergo vos*

 cum

cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Joan. XVI. 23. ſeq. *Amen, amen dico vobis: ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis . . . Petite, & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum &c.* ideo & PAULUS hortatur Hebr. IV. 16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio* OPPORTUNO. Quodnam vero eſt auxilium magis OPPORTUNUM, quam illud perſeverantiæ? denique I. Joan. V. 14. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos. Et ſcimus, quia audit nos, quidquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones, quas poſtulamus ab eo.* Hæc eſt autem voluntas Dei, noſtra in bona perſeverantia. ergo qui hanc petit, eam ex Dei promiſſione impetrabit,

274 *Min. Prob. II.* Operum bonorum ſtudio promiſſa fuit perſeverantia II. Petri I. 10. *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando* (nunquam graviter) *ſic enim abundanter miniſtrabitur nobis introitus in æternum regnum Domini noſtri.* Unde ſic infero. Per opera bona juſtus ſecundum promiſſionem mereri poteſt, ne unquam grave committat peccatum: atqui graviter

ter nunquam peccare, eſt uſque ad finem perſeverare. ergo poteſt mereri perſeverantiam ceu promiſſam.

PROB. II. S. AUGUSTINUS lib. de dono 275
perſev. toto cap. 2. docet, & ex S. CYPRIANO oſtendit, nos in oratione dominica nihil fere aliud, quam perſeverantiam petere. Ergo eam, ceu promiſſam, ſperamus, & digne orando promeremur. Sic autem loquitur. „ Cur autem perſeverantia „ iſta poſcitur a Deo, ſi non datur „ a Deo? . . . Si aliquid a tanto divite „ (Deo) veraciter ac fideliter poſcis, ab „ illo, a quo poſcis, te accipere crede, „ quod poſcis . . . An vero quisquam eorum „ (Sanctorum) eſt, qui non ſibi poſcat „ a Deo, ut perſeveret in eo, cum „ ipſa oratione, quæ dominica nuncupatur, „ quia eandem Dominus docuit, quando „ oratur a ſanctis (Prædeſtinatis) nihil „ pene aliud quam perſeverantia poſci „ intelligatur? „ Ad quod comprobandum S. CYPRIANUM ita loquentem inducit. „ Dicimus: *ſanctificetur nomen tuum*; non „ quod optemus Deo, ut ſanctificetur „ orationibus noſtris, ſed quod petamus „ ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in „ nobis. Ceterum a quo Deus ſanctificatur, „ qui ipſe ſanctificat? ſed quia ipſe „ dixit, *ſancti eſtote, quoniam & ego ſanctus* „ *ſum*: id petimus & rogamus, ut „ qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in „ eo

„ eo, quod eſſe cæpimus, PERSEVERE-„ MUS . . . Hæc ſanctificatio, ut in nobis „ permaneat, oramus, & quia Dominus „ & Judex noſter ſanato a ſe & vivifi-„ cato cominatur non delinquere, ne „ quid ei deterius fiat: hanc continuis „ orationibus precem facimus, hoc die-„ bus & noctibus poſtulamus, ut ſancti-„ ficatio & vivificatio, quæ de Dei gra-„ tia ſumitur, ipſius protectione ſerve-„ tur. „ Poſt iſta CYPRIANI verba hunc in modum AUGUSTINUS proſequitur. „ In „ ſanctificatione igitur perſeverantiam, hoc „ eſt, ut in ſanctificatione perſeveremus, „ nos ab eo petere iſte Doctor intelligit, „ cum ſanctificati dicimus: *ſanctificetur* „ *nomen tuum.* Quid eſt enim aliud pe-„ tere, quod accepimus, niſi ut quoque „ nobis præſtetur, ne habere deſinamus. „ Sicut ergo ſanctus, cum Deum rogat, „ ut ſanctus eſſe permaneat, ita & caſtus „ & continens . . . Hoc ſine dubio pe-„ tunt, ut in eis perſeverent bonis, quæ „ ſe accepiſſe noverunt. Quod ſi acci-„ piunt, profecto & ipſam perſeverantiam, „ magnum Dei donum, quo cætera ejus „ dona conſervantur, accipiunt. „

276 PROB. III. Idem S. AUGUSTINUS expreſſe docet, quod donum perſeverantiæ ſuppliciter emereri poſſimus. Nam eodem lib. c. 6. ait: „ Hoc ergo Dei donum *ſuppliciter* „ *emereri poteſt*; ſed cum datum fuerit, amitti

„ amitti contumaciter non poteſt. „ Et cap. 16. ſcribit, non niſi orantibus perſeverantiam tribui. „ Cum conſtet, alia „ Deum danda etiam non orantibus, ſicu„ ti initium fidei; alia *non niſi orantibus* „ præparaſſe, ſicut uſque in finem perſe„ verantiam. „ Ergo orationi juſti & prædeſtinati promiſſa eſt perſeverantia, ſicque omnia adſunt ad meritum de condigno requiſita: quod amplius patebit e ſolutione argumentorum, quæ adverſarii opponunt.

Objic. I. Donum prorſus ſingulare & 277
mere gratuitum, de condigno nullus mereri poteſt. Atqui perſeverantia finalis eſt donum prorſus ſingulare & gratuitum, ex dictis Tom. VI. *de grat. act.* ergo. *Maj. prob.* ex verbis Christi Joan. XV. 16. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Ergo ut fructus prædeſtinatorum uſque in finem maneat, & cum gloria conjungatur, in qua conjunctione perſeverantia finalis conſiſtit, a ſolo Deo provenit, ideoque plane gratuita eſt, nec ſub meritum de condigno cadit.

Resp. *Diſt. Maj.* Quod tam in intentione, quam etiam in executione prorſus gratuitum eſt, nullus de condigno mereri poteſt. *conc.* quod ſaltem in exſecutione non mere gratuitum, ſed bonis operibus mercedis titulo promiſſum eſt, nullus mereri

poteſt

potest. *nego. Dist.* pariter *min. nego Conseq.* Quamvis prædestinati *in intentione* gratis ad gloriam *eligantur*, & ita etiam ad perseverantiam ordinentur, hanc tamen electionem & vocationem *in executione* per opera bona *certam* facere possunt, ut loquitur S. Petrus n. 274. Verba Christi intelligenda sunt vel de prædestinatione in intentione, vel etiam in executione spectata, sed *adæquata*, prout complectitur totam gratiarum seriem. Licet autem Christus uno contextu loquatur de prima vocatione: *elegi vos & posui vos*, de profectu: *ut eatis, & fructum faciatis*: & de perseverantia: *ut fructus vester maneat*: certum tamen est, quod justi gratiæ profectum, seu augmentum, gloriam ipsam, & ejus incrementum de condigno mereantur. Ergo & perseverantiam in executione spectatam. Ideoque & Christus immediate subdit: *ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*, insinuans utique, precibus nos impetrare posse, ut fructus noster maneat.

278 Objic. II. David justus & prædestinatus rogat Psalm. XVI. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Ergo perseverantiam existimat esse gratuitam, nec nisi a Deo haberi posse.

II. Paulus Rom. XIV. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat,*

ſtat, aut cadit: ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere illum.

Resp. Ad utrumque, inde ſolum evinci, quod non noſtris viribus *naturalibus,* ſed ſola gratuita Dei miſericordia perſeverare poſſimus, quod nemo Catholicorum negat. Inde autem non ſequitur, quod juſtus per gratiam hoc donum promereri nequeat. Ipſe David eum in finem oravit, ut a Deo perſeverandi gratiam impetraret. ergo credidit & confidit, eam eſſe promiſſam.

Objic. III. Concilium Tridentinum Seſſ. 279
VI. cap. 13. de dono perſeverantiæ loquens docet. „ Quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet, & eum qui cadit, reſtituere. „ Sed ſi juſtus perſeverantiam de condigno mereri poſſet, illa non *a ſolo Deo*, ſed etiam *aliunde* haberetur. *ergo.*

Resp. I. *Nego. min.* merces enim a ſolo promittente, non *aliunde* exſpectatur: ſed ab operario non obtinetur, niſi ex parte ſua conditiones ſtipulatas expleverit. Utique etiam gratiæ & gloriæ augmentum a ſolo Deo habetur, & tamen adverſarii non negant, illud ſub cenſum meriti condigni venire.

Resp. II.

Resp. II. Forte etiam concilium exponi poteſt, quod loquatur de perſeverantia in intentione conſiderata, aut etiam in executione, ſed *adæquata* prout primam involvit gratiam actualem, & juſtificativam; loquitur enim de reparatione poſt lapſum, quæ omni ex parte gratuita eſt, nec merito proprie tali obtinetur.

280 Objic. IV. S. Thomas I. 2. q. 114. a. 9. hanc quæſtionem ex inſtituto pertractans diſerte negat, perſeverantiam viæ ſub merito cadere, atque ita ratiocinatur argumento, *ſed contra*. „ Omne quod quis „ meretur, a Deo conſequitur. Sed multi „ habent opera meritoria, qui non con„ ſequuntur perſeverantiam. Nec poteſt „ dici, quod hoc fiat propter impedi„ mentum peccati. Quia hoc ipſum, „ quod eſt peccare, opponitur perſeve„ rantiæ; ita quod ſi aliquis perſeveran„ tiam mereretur, Deus non permitteret „ illum cadere in peccatum. Non igitur „ perſeverantia cadit ſub merito. „

Resp. S. Thomas hoc unum docere videtur, quod non *omnes* juſti perſeverantiam mereantur. Neque tamen ex ejus argumento ſequitur, quod illi, qui *prædeſtinati* ſunt, eam non mereantur; cum eam tamen certiſſime conſequantur. Unde poſſet argumentum inverti. Illud juſti, prædeſtinati, adulti, ordinarie loquendo, merentur,

merentur, quod conſequuntur; quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* Rom. VIII. atqui perſeverantiam conſequuntur: ergo eam merentur. Ideo autem juſti alii, non prædeſtinati, non merentur perſeverantiam finalem; quia ipſis neque præparata, neque promiſſa fuit.

Objic. V. Idem S. Thomas etiam in cor- 281
pore ejusdem articuli perſeverantiam ſub meritum cadere negat, hac fere ratiocinatione. Vel enim ſermo eſt de perſeverantia adæquate ſumta, prout dicit totam ſeriem gratiarum. Et tunc certum eſt quod eam juſtus de condigno mereri nequeat; quia prima gratia actualis & habitualis non cadit ſub meritum. Vel de perſeverantia indæquate accepta, quatenus eſt gratiæ habitualis primo gratis infuſæ conſervatio uſque ad mortem. Atqui nec iſta ſub ratione eam juſtus mereri valet. *ego. min. prob.* Perſeverantia hoc modo conſiderata pertinet ad principium meriti; eoquod nihil ſit aliud, quam gratiæ ſanctificantis continua ad mortem uſque conſervatio. Atqui *conſervatio eſt continuata productio.* Sicut ergo juſtus de condigno mereri nequit gratiæ habitualis primam collationem, ita neque ejus conſervationem. Nam ut idem S. Thomas I. p. q. 104. a. 7. ad 4. ait. „ conſervatio rerum a Deo non

„ eſt per aliquam novam actionem, ſed „ per continuationem actionis quæ dat „ eſſe. „

Resp. *nego min.* ad *prob. diſt. Maj.* Perſeverantia *inadæquate* ſpectata pertinet ad principium meriti, ſi in prima ſui collatione conſideretur. *conc.* ſi in ejus conſervatione. *ſubdiſt.* Hoc ſenſu, quod juſtus gratia habituali præditus ad ſingulos actus meritorios indigeat gratia actuali, ſine qua habitus nunquam operatur. *conc.* alio ſenſu, quaſi homo ad ejus conſervationem nihil cooperetur, nec ejus conſervationem mereatur. *nego.* Ut enim peccator gratiis actualibus cooperando ad juſtificantem gratiam ſe diſponit, eamque late & improprie meretur; ita jam juſtificatus gratiis actualibus cooperando, jamque conditionibus ad merendum inſtructus, gratiæ conſervationem non minus, quam ejus augmentum proprie meretur. *Diſt. min.* conſervatio eſt continuata productio, ita ut illa a ſolo Deo fiat. *nego.* Ut & ſimul ab homine juſto & prædeſtinato cooperante fiat. *conc.* Non enim Deus in nobis ſine nobis ſuam habitualem erga nos propenſionem conſervat, nec nos ſine Deo habitu in Deum propendemus: & ſic gratia tam a Deo, quam a juſto ſimul conſervatur, & hanc ipſam conſervationem juſtus meretur; eoquod nulla ei ad iſtud meritum conditio deſit.

Objic. VI.

Objic. VI. Ex his ſequeretur, quod om- 26
nes aut ſaltem plerique juſti perſeverantiam mererentur, eoquod plerique bene operentur; atqui iſtud experientiæ & Evangelio repugnat; ut enim Christus docet: *Multi vocati, pauci vero electi.*

Resp. *Diſt. Maj.* Sequeretur, quod omnes aut plerique juſti, *prædeſtinati*, perſeverantiam mereantur. *conc.* Non prædeſtinati. *nego.* His enim non eſt præparata, & ideo ipſimet a bene operando libere ceſſabunt, & ad peccatum finale deficient. Vel *Diſt.* aliter. Sequeretur, quod plerique mereantur perſeverantiam temporalem. *conc.* finalem. *nego.* ex ratione mox data.

Quæritur pro coronide, an juſtus bona 283
temporalia mereri poſſit?

Resp. I. cum S. Thoma. Hic art. 10. ☉. ſi bona temporalia ſpectentur ut conducentia ad ſalutem, illa juſtus de condigno mereri valet. Et ratio eſt. I. Qui poteſt mereri finem, poteſt etiam mereri media conducentia ad finem: ſed juſtus poteſt mereri finem, nempe æternam beatitudinem. Ergo etiam bona temporalia, ſi conſiderentur tamquam media conducentia ad finem, idque colligitur ex S. Scriptura; nam Christus Math. VI. monens, ut non ſimus ſoliciti circa temporalia denique addit: *quærite primum regnum Dei*

& justitiam ejus, & hæc omnia, nimirum: cibus, potus, vestimenta &c. *adjicientur vobis.*

II. Ad merendum bona temporalia concurrunt omnes conditiones necessariæ; nulla enim deest ex parte justi, nec aliqua supponitur deesse ex parte operis meritorii, & ex parte Dei adest promissio cit. loc. Math. Unde etiam legitime infertur, justum alteri, sive justo, sive peccatori saltem de congruo mereri posse bona temporalia, ut ad salutem æternam ordinentur, eo ipso, quoniam ipsum finem, seu gratiam primam justus alteri promereri potest: ergo etiam media ad eum finem conducentia, qualia sunt bona temporalia, si considerentur ut proficua ad salutem.

284 Resp. II. Justus non meretur de condigno, nec de congruo bona temporalia secundum se spectata sine ordine ad salutem. Ita denuo D. Thomas loc. cit. & 2. 2. art. 5. ad 4. Ubi ait: „ Præsentia „ bona non cadunt sub merito vel de„ merito, nisi quatenus ordinantur ad „ futuram remunerationem, ut dictum „ est. „ Ratio est I. quia, quod est commune bonis & malis, non cadit sub merito de condigno vel congruo hominis justi: sed bona temporalia sunt communia justis & peccatoribus, ut dicitur Eccle. IX. 3. & constat experientia. *ergo &c.*

II.

II. Quod juſtus a Deo, per orationem prudenter non poteſt petere, id neque poteſt per opera bona mereri: ſed bona temporalia ſine reſpectu ad ſalutem prudenter non poteſt per orationem a Deo petere: *ergo. min. prob.* Chriſtus dum modum docet orandi, vult, ut petamus *in nomine ejus*: quod juxta Patres idem eſt, ac petere ea, quæ ad ſalutem noſtram ſunt proficua. Et patet etiam ex Prov. XXX. 8. Ubi Salomon orat, ut neceſſaria ſuſtentatio ipſi a Deo concedatur, ſed nonniſi in ordine ad ſalutem. Ait enim: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo neceſſaria, ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei.*

Resp. III. Peccator nec de condigno nec 285
de congruo ſtricte ſumpto meretur bona temporalia, quatenus ad ſalutem æternam conducunt.

Ratio eſt, quia utrumque meritum fundatur in aliquo jure: Et meritum quidem de condigno in jure ſtricto, meritum vero de congruo in jure amicabili, ex hucuſque dictis: ſed utriuſque juris incapax eſt peccator ratione ipſorum operum, quæ radice gratiæ ſanctificantis deſtituta ſunt, & ratione perſonæ, quæ non eſt amica Deo, ergo.

Accedit

Accedit, quod & alia adhuc conditio in peccatore deficere videatur, videlicet, quod opus utcumque moraliter bonum ſit, non poſſit *virtualiter* eſſe relatum in ultimum finem defectu charitatis, qua peccator deſtitutus eſt: ut enim influxus virtualis haberi queat, actualis charitas præceſſerit neceſſe eſt.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

Virtutis nomine intelligitur recta dispositio mentis ad suum finem. Sunt autem virtutes aliæ *morales*, aliæ *Theologicæ*. Moralis, est recta dispositio animi ad vivendum juxta rationem in ordine ad finem hominis ultimum. Et hæc iterum vel est *naturalis*, quæ ex se & genere suo non nisi ad finem seu honestatem naturalem ordinatur: ut temperantia in Philosopho gentili, justitia in cive Romano. Vel *supernaturalis*, quæ intrinsece & efficaciter ex suo genere ad finem supernaturalem ordinata est. Alia iterum est *acquisita*, quæ est habitus animi difficulter mobilis ad operandum virtuose per actus

frequentatos acquisitus. Alia est *infusa*, quæ cum D. THOMA dici potest, bona qualitas mentis, qua recte vivitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur, sine nobis *agentibus*, ut explicat S. D. non vero sine nobis consentientibus, si de adultis sermo sit. Ad virtutem Theologicam requiritur, ut objectum *materiale* primarium sit Deus: *formale*, seu motivum sit aliqua Divina perfectio, quales sunt *veritas*, *fidelitas*, *bonitas*. Virtus theologica est habitus infusus, habens pro objecto immediato & primario Deum, ut finem nostrum supernaturalem fruitive possidendum. Etiamsi vero quævis alia virtus ab operante in hunc finem supernaturalem dirigi possit, id tamen nonnisi imperio virtutis theologicæ fieri potest, & Deus non est immediatum & proprium alterius virtutis objectum. Hujusmodi virtutes theologicæ tres assignantur ab authoribus post D. Paulum: qui 1. Cor. XIII. ait: *Nunc autem manet fides, spes & charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Ordine quidem generationis fides præcedit spem, spes charitatem, sed perfectione omnibus supereminet charitas, virtutum omnium forma. Ordinem S. THOMÆ secuturus agam I. de fide. II. de Spe. III. de charitate.

DE VIRTUTE FIDEI.

FIDEI nomen diverſimode etiam in S. Scriptura ſumitur. *Primo* pro *fidelitate*. Et hæc acceptio eſt juxta nominis ethymologiam; nam ut ait AUGUSTINUS ep. 19. ad Hieron. *fides in Latino ſermone ab eo dicitur appellata, quia fit, quod dicitur*. Hoc ſenſu ſumitur a PAULO Rom. III. 3. *nunquid incredulitas illorum fidem evacuabit?* 2. pro *credibilitate* in loquendo & authoritate in atteſtando: ita Eccli. XXVII. 17. *qui denudat amici arcana, fidem perdet.* hoc modo loquuntur ICti de fide inſtrumentorum. 3. Pro firma *fiducia*. Ita Jacob. I. *poſtulet in fide, nihil hæſitans:* & alibi ſæpius ubi agitur de rebus ſperandis. 4. Sumitur pro *objecto* fidei ſeu pro rebus *creditis*. Uti Actor. VI. 7. *multa etiam turba ſacerdotum obediebat fidei:* & ſymbolum ATHANASII dictum: *hæc eſt fides Catholica &c.* 5. Dum agitur de rebus credendis accipitur pro firmo *aſſenſu* intellectus veritatibus à Deo revelatis præſtito, & in hoc ſenſu proprie eſt virtus theologica à reliquis diſtincta, de qua in præſentiarum per tria capita agendum. I. De fidei natura & objecto. II. De actu interno & externo fidei. III. De ſubjecto, & vitiis fidei oppoſitis. 1

CAPUT I.

De natura & objecto fidei.

2 FIDES à PAULO ad Hebræ. XI. 1. dicitur, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Nomine *ſubſtantiæ* intelligitur fundamentum; eo quod fides ſit baſis ſpei noſtræ, & vocatur in græco *hypoſtaſis*, ſeu *ſubſiſtentia*, quia fides tanta certitudine bona ſperanda, puta, Deum unum trinum intuitive videndum nobis repræſentat, ac ſi illa jamjam coram oculis noſtris ſubſiſterent. Dicitur *argumentum non apparentium*, id eſt firmus aſſenſus & adhæſio rebus obſcuris & minime viſis præſtitus, ſeu ut AUGUSTINUS ait, *convictio*; quia ſcilicet per authoritatem divinam intellectus credentis convincitur, ad aſſentiendum iis, quæ non videt. Cur autem D. PAULUS fidem in ordine ad res ſperandas definiat, ratio videtur eſſe iſta; quia deſcribit fidem Chriſtianam, quæ eſt aſſenſus, non quibuslibet veritatibus revelatis, v. g. quod Canis Tobiæ blanditiis caudæ ſuæ lætitiam oſtenderit. cap. XI. præſtitus, ſed iis ſolum, quæ ad Deum intuitive poſſidendum, & tanquam finem ſupernaturalem totius generis humani ultimum ordinata ſunt, definiri itaque poteſt; quod ſit virtus theologica, qua propter authoritatem, ſeu veritatem Divinam ad firmum inclinamur

clinamur aſſenſum præſtandum omnibus, quæ in ordine ad finem ſupernaturalem totius humani generis ultimum Deus revelavit, & per Eccleſiam credenda propoſuit. In qua definitione & objectum materiale, nempe id quod creditur, & formale, ſcilicet motivum propter quod creditur, id eſt ſumma Dei veracitas, fallere & falli neſcia, exprimuntur. Ulterior explicatio patebit ex ſequentibus. Hic vero inquiritur §. I. de objecto materiali fidei, & an ad illud pertineant revelationes privatæ. §. II. An objectum materiale fidei ſucceſſu temporis fuerit dilatatum. §. III. An fidei dogmata alia ſint neceſſaria, alia libera. §. IV. An concluſiones theologicæ ad objectum materiale fidei pertineant. §. V. De motivo formali fidei, & ultima ejus reſolutione.

§. I.

De objecto fidei materiali, & an ad illud revelationes privatæ pertineant.

Objectum materiale adæquatum, ut omnibus notum eſt, illa omnia conſti- 3
tuunt, circa quæ habitus aliquis ita verſatur, ut ad aliud ſe non extendat: verſatur autem fides circa Deum, & res omnes ab eo revelatas & ab Eccleſia ad credendum propoſitas. Igitur veritates

omnes sic revelatæ, sunt objectum materiale fidei. Excluduntur ergo veritates *naturales*, quæ pertinent ad scientiam, & seclusa revelatione per cognitionem certam & evidentem, simulque per discursum nobis innotescunt. Est vero inter ipsas res revelatas aliquis ordo, ut S. THOMAS observat; nam res illæ, quæ sperantur, uti est Deus fruitive possidendus, est *objectum primarium*: reliqua vero, quæ ad Dei fruitionem obtinendam ordinantur, ut est incarnatio, sacramenta &c. rationem habent *objecti secundarii*. Et de his inter omnes facile convenit. Quæstio hic movetur, an etiam ea, quæ privatim revelantur, ad objectum materiale fidei theologicæ pertineant.

4 Circa quam controversiam observandum, revelationem dupliciter posse esse privatam. I. Ex parte *modi* tantum, dum revelatur aliquid, quod cedit ad gloriam Dei, & bonum commune Ecclesiæ, vel quod ordinatur ad constituendum articulum fidei v. g. bellum sacrum gerendum, vel non gerendum contra Turcas, aut conceptio immaculata B. V. M. ista tamen revelatio privatæ cuidam personæ fiat, non accedente propositione Ecclesiæ. 2. ex *parte modi & rei* revelatæ simul, dum non tantum personæ particulari fit revelatio, sed etiam de re particulari, quæ ad bonum commune aut fidem communem Ecclesiæ non pertinet, nec ab ea credenda proponitur.

nitur. v. g. ſi Deus alicui revelaret quædam arcana naturæ, ſtatum proprium gratiæ, aut prædeſtinationem. Non nulli theologi duplicem adſtruunt fidem, unam *Chriſtianam*, ſeu *univerſalem* & *Catholicam*, cujus objectum ſolum ea ſunt, quæ pertinent ad Deum ut finem ſupernaturalem toti humano generi communem, aliquando fruitive poſſidendum, quæque ut omnibus credenda ab Eccleſia propoſita ſunt: & hi negant revelationes privatas ad objectum materiale fidei Catholicæ pertinere; quia profeſſio fidei Catholicæ debet eſſe univerſalis & communis toti Eccleſiæ, ac omnibus membris. Aliam dicunt fidem *ſimpliciter theologicam*, qua præſtatur aſſenſus veritati cuicunque revelatæ, propter authoritatem Dei atteſtantis. Et hoc ſenſu Card. Gotti defendit, res utroque modo revelatas poſſe ab illo fide theologica credi, cui facta eſt a Deo revelatio, non vero ab aliis; quia alii de revelatione facta non poſſunt habere infallibilem certitudinem, niſi per propoſitionem Eccleſiæ, quæ ſupponitur deeſſe. At vero Gonetus negat, poſſe eam fidem *Theologicam* dici, quæ pro objecto materiali non habeat Deum aut aliquid aliud ad Deum ordinatum. v. g. ſi Deus cui revelaret rem mere naturalem e. c. ſtatum regni Turcici, numerum ſtellarum, aut quid ſimile, tunc ille hanc revelationem non ad fidem theologicam, ſed vel ad do-

 num

num prophetiæ, vel aliud lumen ſupernaturale tranſiens v. g. gratiam gratis datam, de qua loquitur Paulus 1. Cor. 12. referendam eſſe exiſtimat. His obſervatis ſtatuitur

5 Resolutio I. Revelationes utroque modo privatæ poſſunt credi fide theologica. Contra Gonet, & Salmanticenſes.

Prob. I. Quæ ſub eadem ratione formali attinguntur, ad eundem habitum pertinent; nam objectum, ſeu motivum formale ſpecificat habitum: ſed aſſenſus privatæ revelationi rei particularis & temporalis ad Deum non ordinatæ, ſub eadem ratione formali, nimirum propter Divinam veritatem præſtatur, quod eſt motivum formale fidei theologicæ; ergo ille aſſenſus ad fidem theologicam pertinet.

Prob. II. Si quis ejusmodi revelationi negaret ſuum aſſenſum, peccaret; ſed non alia ſpecie peccati niſi infidelitatis: ergo qui aſſentitur, actum fidei exercet.

6 Prob. III. Veritates mere naturales in S. Scriptura revelatæ, etiamſi non ſint objectum primarium & per ſe fidei theologicæ, ſunt tamen ſecundarium & per accidens tale: ergo etiam, quæ privatim revelantur: quia modus revelationis nec variat rationem objecti materialis, nec formalis.

malis. *Ant.* autem probatur e S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 5. in corp. „ Dicendum eſt „ ergo, quod fidei objectum per ſe eſt „ id, per quod homo Beatus efficitur, ut „ ſupra dictum eſt. Per accidens autem „ & ſecundario ſe habent ad objectum fidei, quæ in S. Scriptura divinitus tradita continentur, ſicut quod Abraham habuit Duos Filios, quod David fuit filius Iſai, & alia hujusmodi. Videatur etiam a. 6. ad 1. *Prob.* etiam *Conſeq.* Ideo Veritates naturales in ſcriptura revelatæ ſunt objectum materiale fidei, quia Deus falli neſcius revelavit & omnibus credenda propoſuit: ergo etiam alia veritas privatim revelata erit objectum fidei theologicæ; quia Deus alicui privatim revelavit & ei credendam propoſuit.

Objic. Ad fidem theologicam nihil pertinet, niſi præcipue Deus ipſe & cetera 7
omnia, prout ad Deum ordinantur: ſed res particulares, de quibus nunc ſermo eſt, nec ſunt Deus ipſe, nec ad Deum ordinantur, uti ſupponitur: ergo. M. Prob. ex D. Th. 2. 2. q. 1. art. 1. in corp. „ ſi conſideremus ea materialiter, „ quibus fides aſſentit, non ſolum eſt ipſe „ Deus, ſed etiam multa alia, quæ ta„ men ſub aſſenſu fidei non cadunt, niſi „ ſecundum quod habent aliquem ordi„ nem ad Deum, prout ſcilicet per aliquos „ divinitatis effectus homo adjuvatur ad ten-

„ dendum in divinam fruitionem -- -- ficut „ enim objectum medicinæ eft fanitas, „ quia nihil medicina confiderat, nifi in „ ordine ad fanitatem. „ Patet hoc etiam a pari de fpe & charitate, ad cujus objectum nihil pertinet præter Deum, & ea, quæ ad Deum ordinantur.

Resp. *Dift. maj.* quod ad Deum nullo modo ordinatum eft, non pertinet ad objectum *primarium* & *per fe* fidei theologicæ. *Conc. Maj. fecundarium* & *per accidens.* Nego; & fic etiam explico S. Thomam cit. & oppono textum ejusdem S. D. n. 6. citatum.

8 Objic. II. In hoc diftinguitur fides a prophetia, quod hæc refpiciat aliquod temporale; illa vero aliquod æternum: „ ergo res temporalis privatim revelata, „ non ad fidem, fed ad prophetiam, vel „ aliquod donum fupernaturale tranfiens, „ aut gratiam gratis datam pertinet. *Ant.* „ *prob.* ex D. Thoma qui in 3. D. 24. q. 1. art. 1. q. 1. ad 3. ait: quamvis pro„ phetia & fides fint de eodem, ficut de „ paffione Chrifti, non tamen fecundum „ idem, quia fides formaliter refpicit paf„ fionem ex parte illa, qua fubeft aliquid „ æternum, fcilicet in quantum Deus eft „ paffus: hoc autem, quod temporale eft, „ refpicit materialiter: fed prophetia „ econtra. „

Resp.

Resp. Si res etiam temporalis ex motivo fidei, nimirum propter divinam veritatem credatur, erit actus fidei. Nam Davidem adulterum & homicidam fuiſſe, eſt res mere temporalis: ſi tamen hanc veritatem credam propter authoritatem Dei revelantis, haud dubie exercebo actum fidei.

Objic. III. Fides theologica, ſive aſſen- 9
ſus ille, eſt de ſe juſtificativus, ſaltem per modum diſpoſitionis remotæ, & eſt gratia gratum faciens: ſed aſſenſus ille, qui præſtaretur veritati temporali privatim factæ, per ſe non eſſet juſtificativa nec diſpoſitiva: ergo ille aſſenſus non pertineret ad fidem theologicam. *min. prob.* Nam inprimis ejusmodi veritas temporalis, v. g. numerus ſtellarum, ſupponitur nullo modo eſſe ordinata ad Deum vel hominis ſalutem: quod tamen requiritur ad actum, qui ad juſtificationem diſponeret. *Prob.* minor 2. ſi Deus v. g. Ariſtoteli revelaſſet, viam lacteam non eſſe nubem, ſed infinitarum ſtellarum congeriem, & ille revelationi præſtitiſſet aſſenſum, hic certe non fuiſſet actus fidei theologicæ; cum Ariſtoteles fuerit infidelis habitu fidei deſtitutus, neque etiam iſta veritas, utpote ad Deum & propriam ſalutem non ordinata, ad juſtificationem diſponeret: quo caſu ipſi Adverſarii fatentur, ejusmodi aſſenſum provenire vel a

dono

dono prophetiæ, vel aliquo lumine supernaturali tranſeunte: ergo.

Nec dicant, poſſe argumentum retorqueri in veritatem ſupernaturalem religionis Chriſtianæ infideli cuidam revelatam, prout ajunt adventum Chriſti fuiſſe revelatum ſybillis: nam

Contra eſt. Si ejusmodi veritati ſupernaturali ab aliquo præſtetur aſſenſus, tunc ille actus fidei poteſt eſſe diſpoſitio ad ipſam fidem juſtificantem, ſeu veram religionem, prout forte contigit Magis, quibus in ſtella revelata eſt nativitas Chriſti, & quo aſſenſu ad juſtificationem fuere diſpoſiti.

Resp. I. *N. m.* ad prob. dico: ſi quis ex motivo univerſali, quia Deus ſumme verax eſt, revelationi crederet, ſimulque ſaltem implicite paratus foret credere etiam aliis veritatibus revelatis ex eodem motivo, & accedat gratia ſupernaturalis, illuſtrans intellectum & movens voluntatem, tunc nego, hunc aſſenſum non eſſe diſpoſitivum, ſaltem remote: etſi enim ipſa veritas revelata ſupponatur non eſſe ordinata ad Deum & hominis ſalutem, concomitans tamen gratia actualis ipſum aſſenſum ordinaret ad Deum & hominem ſaltem remote ad juſtificationem diſponeret.

Ad prob. ſecundam imprimis retorqueo: ſi Deus alicui infideli revelaret myſterium quod-

quoddam religionis Christianæ, & ille assentiretur, talis assensus non foret actus fidei theologicæ, ergo nec revelationes istarum veritatum sunt objectum fidei: consequentiam non admittent Adversarii.

Resp. II. Sicut prius: si ex motivo universali æternæ veritatis, & simul implicite paratus ad assentiendum omnibus iis a Deo revelatis credat, tunc dico, ejusmodi assensum esse actum fidei theologicæ, circa objectum quoddam *secundarium*, & per accidens explicitum, circa omnes alias veritates implicitum, remote justificativum; nam ratio opposita, quia infidelis caret habitu fidei theologicæ, non probat, ab infideli non posse elici actum fidei, cum utique in adulto, antequam infundatur habitus, debeat præcedere actus. Si enim nullus posset actus fidei elici, nisi præsupposito habitu, tunc nullus infidelis vel hæreticus posset ad fidem converti. Cardinalis Gotti distinguit. Si assensus veritati naturali revelatæ præstitus eliciatur ab homine fideli, tunc dicit esse actum fidei theologicæ: si fiat ab homine infideli, illum assensum provenire a prophetia, vel alio dono supernaturali transeunter communicato.

Resolutio II. Si Deus de novo verita- 10
tem quandam ad religionem Christianam pertinentem, & ad Deum ut authorem super-

supernaturalem ordinatam, privatæ personæ revelaret, esset objectum fidei *theologicæ*, respectu illius personæ, non vero fidei *Catholicæ*. Ita Gonet.

Prob. I. pars. Ejusmodi veritas haberet omnes conditiones ad objectum materiale fidei theologicæ constituendum necessarias; esset enim res de Deo, ad Deum ordinata, a Deo revelata. Assensus præstaretur propter authoritatem æternæ veritatis: *ergo*. deficeret quidem propositio ab Ecclesia facienda; sed hæc solum requiritur ad fidem, prout est *Catholica & universalis*. Dixi in resolutione: *Veritatem De novo revelatam*: id est, hactenus a Deo non revelatam, nec ab Ecclesia ad credendum propositam; si enim Deus aliquam veritatem universim credendam cuidam etiam invincibiliter ignoranti revelaret, ea omnino ad fidem Catholicam pertinere videretur.

Prob. II. pars. Ea solum ad fidem ca-
21 tholicam pertinent, quæ Deus primis fidei
propagatoribus revelavit, & per Ecclesi-
am omnibus credenda proposuit: sed ve-
ritas, de qua loquitur Resolutio, non esset
revelata prophetis & Apostolis, nec ab
Ecclesia ad credendum proposita. ergo. M.
patet; nam fides Catholica debet esse uni-
versalis, omnibus religionem Christianam
profitentibus communis. Insuper *Prob.* ex
D. Thoma, qui 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. ait:
„ Fides

„ Fides noſtra innititur revelationi Apo-
„ ſtolis & Prophetis factæ, qui canoni-
„ cos libros ſcripſerunt, non autem reve-
„ lationi, ſi quæ fiat, aliis doctoribus factæ. „
& hic q. 5. a. 3. in corp „ formale objec-
„ tum Fidei eſt veritas prima, ſecundum
„ quod manifeſtatur in ſcripturis S. & doc-
„ trina Eccleſiæ, quæ procedit ex veri-
„ tate prima. „ Veritates naturales, quæ in S. Scriptura revelantur, ad objectum fidei theologicæ ſecundarium pertinere, idem D. THOMAS aſſerit; quia omnia ad Deum ordinantur, & quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Sic enim ait hic q. 1. a. 1. ad 2. „ di-
„ cendum, quod ea, quæ pertinent ad
„ humanitatem Chriſti, & ad Sacramenta
„ Eccleſiæ vel ad quaſcunque creaturas,
„ cadunt ſub fide, in quantum per hæc
„ ordinamur ad Deum, & eis aſſentimur
„ propter Divinam Veritatem, & ſimiliter
„ dicendum de omnibus, quæ in Sacra
„ Scriptura traduntur. „ Item q. 2. a. 4. in corp.

§. II.

An objectum materiale fidei ſucceſſu temporis fuerit dilatatum?

De revelationibus agenti nova occurrit quæſtio, an objectum Fidei ſemper fuerit idem, ſeu, an hodie plures dentur articuli Fidei, quam fuerint tempore Chri- 12

ſti &

ſti & Apoſtolorum; conſequenter an nova fiat Eccleſiæ revelatio, dum aliquod dogma, quod antea non erat expreſſe definitum, publicæ omnibus credendum proponit: quod à tempore Apoſtolorum uſque in præſens frequenter accidit. Nam latere neminem poteſt, quod occaſione Variarum hæreſum variæ a Rom. pontificibus & conciliis œcumenicis Fidei definitiones emanarint, & articuli credendi propoſiti fuerint. Ita contra græcos definita eſt proceſſio ſpiritus S. a Filio: contra Monothelitas duplex Chriſti voluntas: & innumera alia, quæ ipſi etiam ſymbolo fidei inſerta fuere. Alii eandem quæſtionem his verbis proponunt: an præter Verbum Dei ſcriptum & traditum, admitti debeat *tertium*, Eccleſiæ noviter inſpiratum, quod viſum eſt Ludovico Bailio in apparatu ad ſummam Concil. Tom. I. Alii quærunt, an Eccleſia concedere poſſit novos articulos fidei, qui ante nec ſcripto, nec tradito Dei verbo fuerant revelati? Poteſt autem articulus fidei dupliciter dici *novus*: vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum & explicationem. Novus *quoad ſubſtantiam* foret, ſi prius nunquam implicite in aliis fuiſſet revelatus. Novus erit *quoad modum*, ſi eadem veritas, quæ prius implicite in alio articulo tanquam principio contenta ſeu involuta, ab Eccleſia declararetur, & proponatur explicite credenda. Ita e. g. contra Monothelitas declaratum fuit, duplicem dari in Chriſto voluntatem,

tatem, quod antiquiores implicite & quoad ſubſtantiam crediderunt; quia Chriſtum Deum, & perfectum hominem profitebantur. His obſervatis ſtatuitur

Resolutio. Eccleſia definiendo non condit novos fidei articulos, quoad ſubſtantiam, ſed ſolum quoad explicationem, neque id fit ex novo revelatione, ſed ex promiſſa ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentia. Ita S. Thomas hic q. 1. art. 7. in corp. contra Suareſium.

Prob. I. Fides antiquorum Patrum eadem 13
eſt quoad ſubſtantiam cum noſtra. *Ergo. Ant.* Prob. I.

Petrus Actor. XV. 11. de Patribus prioribus loquens ait: *per gratiam domini noſtri JESU Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, id eſt, eadem cum illis fide, quoad ſubſtantiam.

II. Id diſerte affirmat S. Augustinus epiſt. 157. modo 190. ad Optatum cap. 2. „ eadem namque fides eſt noſtra & illorum; „quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. „ Et Tract. 45. in Joan. „ Tempora variata ſunt, non fides... „ mutatus eſt ſonus, venturus eſt & venit: „ eadem tamen fides utroſque conjungit. „

III. Christus omnes articulos fidei ſuis „ revelavit Apoſtolis, ſaltem per Paracly-

tum, & Apoſtoli omnem doctrinam tradiderunt poſteris, ergo non conduntur modo novi articuli fidei. *Ant. prob.* Chriſtus Joan. XV. 15. ait ad eos *omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, & XVI. 2. *cum autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

14 PROB. II. ex tradit. TERTULLIANUS lib. de veland. virg. „ regula fidei una eſt, ſola „ immobilis & irreformabilis, & de præ„ ſcript. Cap. 8. Apoſtolos Domini habe„ mus authores, qui - - - acceptam a Chri„ ſto diſciplinam fideliter nationibus aſſi„ gnaverunt - - - hoc enim credimus, non „ eſſe ultra, quod credere debeamus. „ EPIPHANIUS Hæreſ. 55. contra Melchiſedechianos „ termini præſcripti ſunt nobis „ & fundamenta poſita, & ſtructura Fidei „ & Apoſtolorum traditiones & SS. Lit„ teræ, & doctrinæ propagata ſucceſſio „ & denique divina veritas ex omni parte „ munita eſt & conſtituta. „ Clariſſime autem omnium VINCENTIUS Lirinenſis in aureo ſuo Commonitorio, Cap. 32. „ Eccleſia hæ„ reticorum novitatibus excitata nec quid„ quam conciliorum ſuorum decretis per„ fecit, niſi ut quod prius a majoribus ſola „ traditione acceperat, hoc poſteris etiam „ per ſcripturæ Chirographum conſigna„ ret. „ Id etiam, aliis tamen verbis, dicit S. THOMAS hic q. 1. art. 10. ad 1. in corp. „ Doctrina Chriſti & Apoſtolorum veritas

„ veritas fidei eſt ſufficienter explicata, ſed „ quia perverſi homines Apoſtolicam doctrinam & cæteras doctrinas & ſcripturas „ pervertunt, ad ſui ipſorum perditionem, „ ſicut dicitur 2. Petri ult. ideo neceſſaria „ fuit temporibus procedentibus explicatio „ fidei contra inſurgentes errores. „

Prob. III. Ratione 1. Ad condendum 15
articulum fidei quoad ſubſtantiam novum, requireretur novum Verbum Dei, a ſcripto & tradito diſtinctum; ſed tale non datur, quia Eccleſia non habet poteſtatem ſcribendi novum librum canonicum. ergo.

II. Si in definitione quæſtionum fidei Eccleſia haberet novam revelationem, non foret neceſſe, ut tantam adhiberet induſtriam in indagandis operibus Patrum, convocandis Epiſcoporum votis, theologorum conſiliis, ad eruendam traditionem: quo tamen ſtudio ſemper hactenus uſa fuit, ipſique Apoſtoli in primo concilio Jerosolymitano uſi ſunt. Scribit enim Lucas Act. XV. 6. *Convenerunt Apoſtoli videre de verbo hoc: cum autem magna conquiſitio fieret.* &c. Id ipſum in conciliis reliquis ac noviſſimo Tridentino contigit, ut ipſi patres Seſſ. IV. fatentur his verbis: „ S. Synodus hoc ſibi perpetuo ante oculos pro„ ponens ut puritas Evangelii in Eccleſia „ conſervetur, quod Chriſtus primum „ promulgavit, deinde per ſuos Apoſto-

„ los tanquam fontem omnis & ſalutaris „ veritatis & morum diſciplinæ omni crea- „ turæ prædicari juſſit, perſpiciensque „ hanc veritatem & diſciplinam in libris „ ſcriptis & ſine ſcripto traditionibus - - - „ ad nos uſque pervenerunt &c. „ legantur reliqua. Quod vero Eccleſia in declarandis & explicandis fidei articulis infallibili & ſpeciali ſpiritus ſancti aſſiſtentia regatur, id patet ex promiſſione Chriſti data Apoſtolis Matth. ult: *ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, et ex inſtituto docetur, ubi de Eccleſiæ infallibilitate agitur, & facili ratione Catholico id perſuadetur; quia Deus non poſſet prudenter hominem obligare ad firmum præſtandum aſſenſum veritatibus ab Eccleſia propoſitis, ſi errare poſſet & fallere, ſine Eccleſiæ autem propoſitione de revelatione divinitus facta nulli conſtare poteſt, ut infra dicetur.

16 Objic. I. videtur, quod Apoſtolis non omnia fuerint revelata: ergo Eccleſiæ ſucceſſu temporis novæ factæ ſunt revelationes. *Ant. Prob.* non omnia myſteria revelata erant Patribus T. V. ſed revelationes factæ ſunt ſucceſſive: ergo idem dicendum de Apoſtolis.

Resp. Nego *Ant.* ad Prob. *Diſt.* Antiquis Patribus non fuerunt omnia revelata, adeo *clare* & *explicite*: *conc.* neque quoad ſubſtan-

ſubſtantiam & *implicite*, *nego*. Quo magis enim erant a Chriſto remoti, eo obſcuriores ipſis erant promiſſiones: atvero Apoſtoli cum Chriſto verſati & ab eo, atque per ſpiritum ſanctum edocti fuere de omnibus, ut N. 13. probatum eſt.

Objic. II. Dato, Apoſtolis fuiſſe revelata omnia, ſaltem non omnia tradiderunt poſteris: ergo occaſione hæreſum & definiendarum fidei controverſiarum admitti debent novæ revelationes. *Ant. Prob.* non omnes poterant ſingula myſteria capere, maxime gentiles ab idolis venientes: ergo Apoſtoli illis non omnia tradiderunt. *Conſeq. Prob.* Ideo Chriſtus ante reſurrectionem & aſcenſionem non omnia revelavit Apoſtolis, quia nondum poterant capere, ut ipſe ajebat: *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo, paraclytus autem ſpiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia &c.* ergo ex eadem ratione dicitur convenienter, Apoſtolos non omnia tradidiſſe. Videtur quoque ex hac ratione orta diſciplina arcani; quia explicita fidei myſteria omnibus manifeſtare non videbatur expediens. 17

Resp. *Diſt.* non tradiderunt omnia *explicite* omnibus, *con.* aliquibus, & maxime paſtoribus, qui alios debebant inſtruere, *neg.* libenter admiſerim, non omnes fuiſſe explicite de omnibus articulis

ab Apoſtolis edoctos; quia nec hodie fides explicita & diſtincta omnium credendorum requiritur: nec enim omnes tantæ fidei capaces ſunt, ut ait PAULUS I. Cor. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam, non enim poteratis: ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* At vero Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis omnia revelaſſe Apoſtolos, quæcunque ipſi didicerant, non dubito; quia probe ſciebant, Eccleſiam debere durare perpetuo immaculatam in fide, & tamen ſæpius impugnandam fore ab hæreticis &c. acceptam vero ab Apoſtolis doctrinam primi Epiſcopi tradiderunt ſuis ſucceſſoribus, maxime in Romana Eccleſia, ubi continua & nunquam interrupta viget Pontificum ſucceſſio, & inde omnis revelatio ad nos uſque dimanavit.

III.

An fidei dogmata alia ſint neceſſaria, alia libera.

18 Frequentiſſimum Novatoribus eſt, ut aſſerant, articulos fidei alios eſſe *fundamentales*, & ad ſalutem creditu omnibus *neceſſarios*, ita, ut ſi in eorum aliquo Eccleſia erret, vera Eccleſia eſſe deſinat, fidelesque ab ea diſcedere & poſſint & debeant: alios econtra dicunt non neceſſarios, & quaſi *liberos*, ita ut iisdem tan-

quam ad ſalutem non neceſſariis, quaſi ſcholæ aut ſectarum controverſiis ſalva unitate, & Eccleſiæ pace libere contradicere liceat. At vero characterem ſeu *criterium*, quo fundamentales ab aliis diſcerni poſſint & debeant, aſſignare nequeunt, & reperiuntur tot pene ſententiæ, quot capita. Jamque eo apud plurimos indifferentiſtas, ſeu libertinos, cujusmodi inter eruditiores Proteſtantes pleroſque eſſe ſuſpicor, eo, inquam, res redire videtur, ut ſi Dei unius & trini exiſtentia, Chriſtique incarnati redemtio credantur, ad ſubſtantiam fidei & ſalutem ſufficiat, ſi modo cultu aliquo Deus colatur, quo Deus cuivis ſe revelat & ſe colendum manifeſtat: cæteros, quicunque ſunt, articulos inter adiaphora & ſcholæ tricas rejiciendos eſſe. Haud pauci ſunt, qui hanc ſuam ſentiendi libertatem publice profitentur: ſed eo plures, utinam non etiam quidam e Catholicis, qui eam animo tegant, & ſuam vivendi rationem liberrime ad eam componunt.

Aliqui ex reformatis cum CROCIO in *Anti-Becano* Tom. I. contr. 3. exiſtimant, ſufficere fidelibus, quod veritatem de gratuita peccatorum remiſſione propter ſolius Chriſti meritum ſint amplexi, quo ſtante articulo ſtat Eccleſia & certa eſt ſalus.

Alii cum MOLINÆO *novit. Papal.* l. 1. c. 52. requirunt Decalogum & ſymbolum, quorum primo homo docetur, quid debeat boni facere vel omittere: altero quid debeat credere. Alii præterea requirunt Baptiſmum & cænam. DALLÆUS *de fide fundament.* p. 2. c. 1. ea docet fundamentalia, quæ in ſcriptura clare exprimuntur, putatque Catholicos in iis convenire cum proteſtantibus & ſolum diſcrepare in non neceſſariis. Sed quis poſſet omnes eorum diſcordantes errores enarrare? contra eos breviter ſtatuitur

19 RESOLUTIO. Nulla datur diſtinctio inter articulos fundamentales & non neceſſarios; ſed omnibus veritatibus revelatis firmus debetur aſſenſus fidei. *Ita Catholici omnes.*

Prob I. Adverſarii nullo fundamento nituntur ad obtrudendam hanc diſtinctionem, nec datur ullum medium, quo poſſent articuli neceſſarii ab aliis diſcerni: ergo gratis conficta eſt. *Ant.* patet ex eo; quia nullum proferre poſſunt, & novitas eo ſolum fine excogitata eſt, ut innumeræ ſectarum diſcordiæ & contradictiones, in quas prolapſi ſunt, ubi ab Eccleſia Romana diſceſſerunt, tolli vel combinari & ſcandalum ex tanta diſſenſione ortum auferri poſſet. Agnovit id confeſſio Helvetica a. 17. inquiens: *objicitur nobis varia eſſe in Eccleſiis noſtris certamina atque diſſidia, poſtquam*

quam ſe a romana ſepararunt Eccleſia, proinde non eſſe eas Eccleſias veras. Hanc objectionem ſane graviſſimam non aliter ſolvit, quam id in nos retorquendo. At nullo jure; nam in rebus credendis ſumma eſt apud omnes concordia. Qui vel uni articulo pertinaciter contradicit, habetur pro hæretico: reliquæ, quæ ſcholaſticos vexant, controverſiæ fidem non tangunt, & plerumque tuto omitti poſſent.

Prob. Ant. quoad II. partem ſi quod 20
foret medium articulos neceſſarios a non neceſſariis diſcernendi, illud foret S. Scriptura omnis fidei fundamentum, & quidem privato cujuſque judicio examinata: ſed hoc medium non eſt aptum, & aliud ab adverſariis aſſignari nequit, ergo &c. ſequela patet ex eorum principiis; ad eam enim ſemper & unice provocant, pro indubio dogmate aſſerentes, nihil eſſe fide divina credendum, quod in S. Scriptura clare non reperitur expreſſum, ex quo capite etiam traditiones rejiciunt: *Prob. min.* medium, quo res credendæ a non credendis diſcernuntur, debet eſſe infallibile, ita ut me certum reddat, hoc a Deo fuiſſe revelatum, meque credendo non poſſe falli; ſecus enim nonniſi probabilitati innixus aſſenſum præſto: at tale medium non eſt S. Scriptura privato judicio explicata. ergo. *min. prob.* juxta adverſarios ipſa concilia generalia, utcunque Patres congregati

ſpiritum ſanctum invocaverint, & S. Scripturam ſtudioſe meditati fuerint, falli poſſunt in iis, quæ ad eſſentialia fidei pertinent: ergo falli multo magis poteſt privatus quisque: immo falluntur plurimi; quia contradictorie de eodem textu v. g. *hoc eſt corpus meum*: judicant. *Conſequentia* eſt evidens; ubi enim errare poſſunt centum aliquot Patres Pii, docti &c. ibi & unus errare poteſt: imo moraliter eum errare neceſſe eſt, tot præſidiis, ſingulari inſuper Spiritus S. aſſiſtentia, quæ tamen conciliis a Chriſto promiſſa eſt, deſtitutum. ergo ſcriptura privato ſpiritu dijudicata non eſt illud medium infallibile.

21 Nec dicant, ſcripturam eſſe claram. Si enim clara eſt, quæ cauſa ſubeſt, quod eam claritatem non videant Patres in conciliis congregati, utpote quos falli, & in plena meridie cæcutire poſſe profitentur: & falli nequeant omnes alii a Romana Eccleſia ſeparati? Nonne eo ipſo falluntur maxime & fallunt, dum falli ſe minime arbitrantur.

PARS II. Aſſenſum revelatis omnibus eſſe præſtandum, patebit inferius, ubi de fidei analyſi & neceſſitate agetur, ubi & objectiones diſſolventur, quæ huic reſolutioni opponi poſſunt.

§. IV.

§. IV.

An Conclusiones Theologicæ ad objectum materiale fidei pertineant.

Conclusiones Theologicæ, quæ ex præmissis, una revelata, & altera moraliter vel metaphysice certa deducuntur, inumeræ occurrunt: v. g. omnis hostia consecrata est adoranda cultulatriæ: sed hæc est consecrata, *ergo.* omnis sanctus est colendus; hic noviter canonizatus est sanctus. ergo. omnis legitimus Romanus Pontifex est Vicarius Christi: sed modernus est legitimus: ergo. omne concilium legitime congregatum infallibiliter docet dogmata fidei, & morum: Tridentinum fuit legitime congregatum. ergo. Ubi una præmissarum est fide certa, altera moraliter: sed quoniam certitudo moralis suos gradus habet, distinguendum videtur. Quod adeo certum est, ut absolute nunquam possit fallere, & nequidem per miraculum, aut opem Dæmonis & illusionem sensuum res aliter se habere possit, dicitur moraliter certum in summo gradu. Imo clarissimus D. Amort hanc certitudinem metaphysicam vocat: quæ non tantum in materia necessaria, sed & contingenti haberi potest: e. g. existere Americam, fuisse Ciceronem &c. Ita certum est, ut nec ope Dæmonis, nec per miraculum desuper 22

per

per decipi possimus, neque enim Deus Dæmoni prudenter permittere potest tam universalem omnes homines decipiendi potestatem: nec ipse etiam Deus patrare miraculum potest, ad decipiendum constanter mundum, quod in datis exemplis contingeret, si omnes de visu & auditu testantes, scribentes &c. perpetuo fallerent, aut fallerentur. Ideo vero D. Amort hanc certitudinem vocat methaphysicam, non quod per absolutam Dei potentiam res aliter se habere non possit, sed quia est plusquam physice certa, quia in moderna Dei providentia res aliter se habere non possunt, quam constans sensuum testimonium & innumerorum testium concors assertio nuntiat. Quæcunque vero certitudo moralis minor est, ita, ut vel per miraculum vel ope Dæmonis falli possit, simpliciter moralis dici potest. Ad supra dictam certitudinem multo magis etiam pertinent veritates naturales, quando inter prædicatum & subjectum datur connexio physica & necessaria: uti hominem esse rationalem, præditum intellectu & voluntate, anima &c. immo hæ proprie metaphysicæ sunt, quoniam Deus creare nequit hominem sine prædicatis essentialibus. His observatis sit

23 Resolutio I. Conclusio theologica deducta ex una de fide, & altera moraliter in minori gradu certa, non pertinet ad objectum fidei.

Prob.

Prob. Illud non poteſt eſſe fidei articulus, aut fide theologica credi, quod poteſt eſſe falſum: ſed talis concluſio poteſt eſſe falſa. *ergo &c. min.* prob. quia, ut ſupponitur, non ſolum ope Dæmonis, aut per miraculum, ſed multis etiam aliis ex cauſis falli poteſt, ut patet in hoc ſyllogiſmo: omnis hoſtia conſecrata eſt adoranda, ſed hæc hoſtia eſt conſecrata; ergo eſt adoranda, ubi *major* eſt quidem de fide Catholica: ſed minor utcunque moraliter certa ſit, falſa tamen eſſe poteſt, vel defectu materiæ, aut formæ, vel intentionis. Hoc docet S. Thomas in 3. d. 24. q. 1. a. 1. ad 4. „ dicendum, quod fides „ non eſt de hac hoſtia, niſi rite conſe- „ crata: ſed quod hæc hoſtia ſit rite con- „ ſecrata, hoc eſt humanæ æſtimationis, „ & ex hac parte poteſt accidere error in „ latria. „ Itaque ex hac & ejusmodi concluſionibus, oritur actus fidei tantum conditionatæ, ſuppoſita nimirum veritate propoſitionis non revelatæ.

Resolutio II. Concluſio theologica deducta ex una revelata, & altera metaphyſice vel moraliter in ſummo gradu certa, fide credenda eſt. Ita communis quoad rem. 24

Prob. I. SS. Patres contra hæreticos noviter exortos decertantes, concilia generalia & romani pontifices definientes ejusmodi concluſiones

ſiones theologicas agnoverunt tanquam de fide, & contrarium aſſerentes damnarunt tanquam hæreticos: ergo. *Ant.* conſtat ex Patrum operibus & conciliorum actis: ſic, e.g. contra Monothelitas, qui duplicem in Chriſto voluntatem negabant, argumentari ſolebant: ubi datur natura humana, datur voluntas humana: ſed in Chriſto datur natura humana: ergo datur vera voluntas humana. Contra Arium: quod eſt ab æterno, non eſt creatura; Filius Dei eſt ab æterno: ergo non eſt creatura: & ſic contra alios: id etiam patet in propoſitionibus damnatis.

E SS. Patribus audiatur vel unus Gregorius Nanzian. qui orat. 37. contra Macedonium negantem divinitatem ſpiritus ſancti, ita ratiocinatur N. 52. „Identidem nobis inculcas, ſpiritus ſancti Divinitatem „nullo ſcripturæ loco probatam haberi. . . . „Nos tibi hoc incommodum depellemus, „poſtquam de rebus & nominibus, ac „potiſſimum de ſcripturæ more atque uſu „non nihil dixerimus cum ergo in „nominibus & rebus tantum diſcrimen „reperiatur, quid cauſæ eſt, cur relictis „rebus ſyllabas conſecteris? ſi te bis quin„que, aut bis ſeptem dicente, decem „aut quatuordecim ex verbis tuis colli„gerem, aut ex eo, quod animal ratione „præditum & mortale diceres, hominem „eſſe concluderem, an tibi nugari viderer?

„ rer ? nequaquam profecto ; cum tua
„ dicerem : neque enim hæc verba ma-
„ gis ſunt ejus , qui ratiocinando unum
„ ex altero colligit, quam illius , qui ſic
„ colligendi neceſſitatem affert. quemadmo-
„ dum igitur hic non ea magis , quæ di-
„ cuntur , quam ea , quæ intelliguntur
„ expenderem , eodem modo nec , ſi quid
„ eorum , quæ vel nullo modo , vel certe
„ non ſatis aperte dicuntur , ex ſcriptura
„ tamen intelligi , colligique reperirem, adeo
„ te vocabulorum ſycophantam pertimeſce-
„ rem , ut ab enuntiatione iſta refugerem. „
Ex quo textu patet , concluſionem quæ ex una revelata & altera methaphyſice certa deducitur , etſi expreſſe revelata non ſit, in ipſa tamen revelata implicite contineri, & quaſi cum ea identificatam eſſe. Unde ſic infero , qui affirmat concluſionem ex una revelata & altera methaphyſice certa deductam , idem dicit , quod propoſitio revelata : ergo concluſio eſt de fide; quia juxta GREGORIUM , qui dicit bis quinque , dicit decem : qui dicit animal rationale , dicit hominem.

PROB. II. Qui affirmat talem propoſitio- 25
nem theologicam , eam affirmat Deo ipſo eam revelante & ad aſſenſum quaſi neceſſitante : ergo ad fidem pertinet. *Ant.* patet ex textu GREGORII ; quia Deus revelat id omne , quod cum propoſitione revelata neceſſario connectitur : ſed concluſio

ſio ſic deducta cum revelata connectitur: ergo.

Idem S. Gregorius orat. 37. nonniſi per ratiocinium ejusmodi probat ſpiritus S. Divinitatem; nam ex hoc, quod Petrus ad Ananiam dicat: Actor. V. 3. *Cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te ſpiritui S.* & verſu 4. *non es mentitus hominibus, ſed Deo*, ita concludit: quando verſu 4. & 5to. de eodem ſermo eſt, tunc ſpiritus S. eſt Deus; quia ille, cui mentitus eſt Ananias, expreſſe dicitur Deus, & hæc propoſitio eſt de fide certa; ſed de eodem ſermo eſt: hæc eſt naturaliter evidens, ſeu methaphyſice certa, ergo eſt Deus.

26 Prob. III. Quidquid eſt revelatum, pertinet ad objectum materiale fidei: ſed concluſio theologica, de qua ſermo, eſt revelata: ergo. *min. prob.* concluſio ſic deducta continetur in revelata, ita ut altera ſit ſolum applicans ſeu eruens & declarans, ſuppono enim ex philoſophia, concluſionem ſolum contineri in una præmiſſarum, ita ut altera ſolum declaret, concluſionem in priori contineri. vid. Corsini Log. p. 3. cap. 2. n. 10. & cap. 7. n. 4. cum ergo propoſitio methaphyſice certa infallibiliter explicet, concluſionem in revelata contineri, ipſa quoque concluſio infallibiliter pro revelata & de fide erit credenda. In exemplo, omne concilium legitime congregatum infallibiliter judicat: Nicæ-

Nicænum I. erat legitime congregatum: ergo infallibiliter judicat. Nemo non videt, conclusionem in revelata contineri. Id patet in naturalibus, dum dico, omnis homo est rationalis, ergo Petrus est rationalis: vel, ad perfectam naturam humanam pertinet anima humana. ergo Christus habuit animam, hæc conclusio ita continetur in antecedenti, ut nequidem explicatione indigeat, ideo & minor omitti potest: ergo etiam dum dico: omne concilium legitime congregatum est infallibile: ergo Nicænum est infallibile, in eadem antecedente continetur.

Objic. I. Contra II. Resolutionem juxta regulas logicorum conclusio sequitur partem debiliorem: ergo si una præmissarum solum est metaphysice certa, etiam conclusio non nisi metaphysice, non autem fide certa erit. 27

Resp. I. Hoc principium maxime verificari de negatione; si enim aliqua præmissarum est negans, altera declarat, conclusionem in propositione negante contineri, & hoc ipso conclusio non potest esse affirmativa, e. g. dum dico: nullus homo est purus spiritus. Petrus est homo, ergo non purus spiritus. Minor declarat, conclusionem in majori negante contineri. Sic etiam propositio methaphysice certa infallibiliter declarat conclusionem in revelata contineri.

Resp. II. In forma in ordine ad hanc quæstionem. *Dist.* conclusio sequitur partem debiliorem, id est, non potest credi ut revelata & tanquam de fide, nisi altera propositio infallibiliter declaret, conclusionem in revelata contineri, *conc.* si infallibiliter declaret, *neg.* verum est, si minor propositio solum est probabilis, etiam conclusio tantum probabilis erit, quia minor solum declarat probabile, non vero certum & infallibile esse, conclusionem in revelata contineri. Jam vero objectum fidei debet esse certo revelatum. Cum ergo propositio methaphysice certa declaret, conclusionem infallibiliter in revelata contineri, ipsa quoque conclusio infallibiliter revelata, & objectum fidei erit.

28 Objic. II. Qui negaret conclusionem theologicam, non eo ipso foret hæreticus; cum conclusioni theologicæ non opponatur hæresis, sed error, ergo conclusio theologica non est de fide.

Resp. *Dist.* qui negaret conclusionem theologicam, quatenus sufficienter explicatam & ad credendum propositam, non foret hæreticus. neg. si solum negaret ratione illationis: *conc.* & insuper observo, tunc solum aliquem esse hæreticum, quando articulo cuidam universali & ab Ecclesia definito & publice ad credendum omnibus proposito pertinaciter contradicit.

dicit: non vero, ſi ſolum ratione illationis contradicit, putans concluſionem ex præmiſſis legitime non fuiſſe deductam: quamvis præſumptio contra ejusmodi hominem oriretur, eum etiam implicite negare præmiſſam revelatam, in qua concluſio continetur, quod ſine hæreſi fieri non poſſet.

§. V.

De objecto formali fidei, & ultima ejus reſolutione.

Objectum *formale* quo, ut a D. Thoma 29
dicitur ad diſtinctionem objecti *formalis quod*, ſeu ut ego appellavi, materialis. Objectum, inquam, formale, nihil eſt aliud, quam illud motivum, ſeu ratio, quæ movet ad præſtandum aſſenſum veritatibus revelatis. Cum autem fides divina, de qua ſermo eſt, ſit aſſenſus firmiſſimus, & certus, cui falſum ſubeſſe nequit, ſuapte ſequitur, motivum illud debere eſſe certiſſimum & infallibile. Unde merito ab Innocentio XI. damnatæ fuerunt ſequentes propoſitiones: 19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quam meretur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* 20. *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.* 21. *Aſſen-*

ſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum motivo tantum probabili revelationis, imo cum formidine, ne non ſit locutus Deus. 23. Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

30 Etſi Catholici fere conveniant in eo, quod motivum formale ſit authoritas, ſeu ſumma & infallibilis veritas Dei revelantis, propter quam ſolam præſtatur aſſenſus, ulterius tamen inquirunt, quæ ſit analyſis ſeu reſolutio fidei, ſive quid ſit illud motivum, in quod aſſenſus noſter ultimato reſolvitur: uno verbo inquiritur, quæ ſit ultimata ratio, cur aliquis credat, hoc Deum revelaſſe. Et quidem agendum eſt præcipue contra hæreticos. Manichæi enim Augustino teſte l. de utilitate credendi, nihil eſſe credendum aſſerebant, niſi quod rationi conſentaneum eſt, putabantque ſuperſtitioſum eſſe, fidem ante rationem imperare. Hi ergo fidem reſolvebant in humanum ratiocinium. Manichæis acceſſiſſe Abaelardum ſcribit S. Bernardus epiſt. 190. & cum iis hodie ſentiunt Sociniani. Novatores reliqui fidem ſuam reſolvunt in ſolum verbum ſcriptum, ſeu S. ſcripturam. Quando autem urgentur, ut doceant, unde ipſis certo conſtet, hanc ipſam, quam allegant ſcripturam vere eſſe divinam, aut iſto, non alio ſenſu intelligendam, recurrunt ad in-

ternum inſtinctum, ſeu ſpiritum privatum, quo unicuique fideli, humiliter & devote ſcripturam S. meditanti, ſpiritus S. clare inſpirat, quid credendum, quo ſenſu ſinguli ſcripturæ textus intelligendi ſint.

31 In ultima fidei reſolutione maxime attendendum, ne committatur circulus vitioſus; quando idem probatur per idem, ſeu, id quod eſt incognitum & adhuc in quæſtione verſatur. Ejusmodi vitium committunt NovAtores, dum genuinum ſenſum ſcripturæ probant a ſpiritu privato, ipſum vero ſpiritum privatum ex S. ſcriptura. Clariſſimus quidam Thomiſta ait, ab ipſis Catholicis quoque committi circulum vitioſum, dum ſcripturam probant per Eccleſiam, & hanc per ſcripturam: in quo quidem verum dicit, ſi quis contra infidelem, qui ſcripturam S. negat, ejusmodi diſcurſu uteretur. Huic enim ex motivis credibilitatis primo demonſtrandum eſſet, Eccleſiam Catholicam a Deo inſtitutam & infallibilem eſſe, tum vero ex ejusdem Eccleſiæ authoritate inferenda verbi Dei ſcripti & traditi exiſtentia. At vero dum contra hæreticos agimus, qui S. ſcripturam ipſimet admittunt, non videtur circulus vitioſus committi, ſi ex ſcriptura demonſtretur veritas, & infallibilitas Romanæ Eccleſiæ, & ex hujus infallibilitate genuinus probetur ſcripturæ ſenſus. His obſervatis ſtatuitur

32 Resolut. I. Objectum ſeu motivum formale fidei eſt ſola authoritas, ſive veracitas Dei revelantis: eſt ſententia communis contra Scotiſtas, qui pro motivo formali ſtatuunt revelationem.

Prob. Sola Dei authoritas, ſeu ſumma veracitas, eſt cauſa, cur Deo revelanti credimus. ergo hæc ſola eſt motivum formale. *Ant. Prob.* omnis fides innititur teſtimonio loquentis; humana quidem authoritate hominis. ergo divina innititur divinæ. Nam ut ait Joannes II. cap. V. 9. *ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Sic credimus homini fide digno, quia exiſtimamus eum nos fallere nolle: ergo etiam credimus Deo, quia ſcimus, eum nec fallere velle, nec falli poſſe. Hoc eſt motivum, quo Paulus inducit Galatas, ut Evangelio ſuo indubitanter præſtent aſſenſum; *quia non ab homine* acceperat illud, neque didicerat, ſed *per revelationem JESU Chriſti.* ad Gal. I. 12.

33 Quod vero motivum formale non ſit *revelatio*, facile patet; quia hæc eſt tantum *modus*, quo divina authoritas nobis innoteſcit. Si enim ex ſcotiſta quæram, quare credat Deo *revelanti*? utique reſpondebit, quia Deus eſt ſumme & infallibiliter verax, cui falſum nihil ſubeſt. Hoc equidem verum eſt, quod ſine reve-

latione non possemus credere? quis enim Trinitatis haberet notitiam nisi Deus revelasset. Inde autem non sequitur, *revelationem esse motivum*; nam nec homini credo, quia loquitur, sed quia in eo, quod loquitur, existimo eum veracem esse.

Resolutio II. Fidei resolutio non potest fieri in humanum ratiocinium. Contra Manichæos, Abaelardum & Socinianos. 34

Prob. I. Fides Petri a Christo laudatur, quia ejus divinitatem non naturali rationi, sed Divinæ authoritati innixus credidit & professus est. *beatus es*, ait Matth. 16. *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Paulus de suo Evangelio, non naturali ratione, sed fide humili amplectendo, loquitur 1. Cor. II. 4. *Et sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Vide etiam 1. Tess. XI. 13. ex quibus textibus hæc surgit ratio. Si id, vel, ideo credendum esset, quia naturalis ratio, seu discursus convincit, sequeretur, quod Philosophi, aliique acuti ingenii, magis essent ad fidem idonei, quam plebs simplex ac illiterata: sed hoc est contra Christi effatum, & experientiam. *ergo* &c. *min. prob.* Christus, Matth. XI. 25. dixit: *confiteor tibi pater, quia abscon-*

diſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & *revelaſti ea parvulis* : experientia quoque docet, primos fideles pleroſque, & ipſos Apoſtolos, non fuiſſe inſignes Philoſophos, ſed rudes & ſimplices.

35 Prob. Ratione. I. Fides eſt obſcura; eſt enim *argumentum non apparentium*. Sed ſi reſolveretur in humanum ratiocinium, jam non obſcura, ſed evidens foret. *ergo.*

II. Si nihil credendum, niſi quod ratio demonſtrat, tunc tota fides humana & ſocietas corrueret.

III. Sequeretur quod Abraham *credendo in ſpem contra ſpem*, *imprudenter feciſſet*, dum in ſenectute filium & ex filio immolando innumeros poſteros ſe habiturum Deo revelanti credidit.

IV. Sequeretur, quod etiam B. V. Maria non debuiſſet credere Angelico nuntio, ſe ſine ſemine viri parituram, & virginem permanſuram. Immo laudandi forent Sara & Zacharias, quod ex ſterili thoro, maſculum fructum haberi poſſe credere noluerint; quoniam naturalem eorum ſuperabat captum. Scriptura vero illos redarguit, & punit inſuper.

36 Inde tamen non ſequitur, omne ratiocinium eſſe a fide alienandum, credendum enim eſt unice propter authoritatem Dei

Dei atteſtantis. Deinde vero utiliter laborari poteſt, ut demonſtretur, myſteria fidei noſtræ utcunque rationem & captum humanum tranſcendant, non tamen eſſe contra rationem; quia verum nequit eſſe vero contrarium, id tamen cavendum, ne quid in naturalibus pro vero admittatur, quod reipſa verum non eſt: quod hæreticis ſolenne eſt, qui Myſterium *Trinitatis*, *transſubſtantiationis &c.* ob ratiunculas quasdam naturales, apparenter contrarias, pervicaciter negant: cum tamen in his captivari oporteat intellectum in obſequium fidei.

Objic. I. Eccli XIX. dicitur: *qui cito* 37
credit, levis eſt corde, & ipſa etiam B. V. Maria Angelo myſterium incarnationis non ſtatim credidit, ſed cogitabat: *qualis eſſet iſta ſalutatio*, id eſt, deliberabat, an credendum foret.

Resp. *Diſt.* qui cito credit homini, qui mentiri poteſt, *conc.* Deo, quem locutum eſſe, evidenter ex ſignis credibilitatis colligit, *nego.* B. V. Maria non deliberavit, an velit Deo revelanti credere: abſit; ſed indagavit, an Angelus ſibi apparens, ſit verus Dei nuncius, aut forte ſpiritus malignus, transfigurans ſe in Angelum Lucis. Non quaſi incredula pro oraculo, nec quaſi incerta a nuntio, ſed mirabunda, quomodo ſalva virginitate mater eſſet futura.

38 Resolutio III. Fides non resolvitur in solam S. scripturam, neque in spiritum privatum. *Contra Novatores.*

Prob. I. pars. Id, in quod assensus fidei ultimo resolvitur, debet esse certissimum & infallibile: sed *sola* sacra scriptura non est illud medium certum & infallibile, *ergo &c. Maj.* videtur clara; quoniam alias assensus noster non esset firmus & certus, si ipsum motivum ultimatum fallibile esset. *min. prob.* quamvis Verbum Dei certum *quoad se* & infallibile sit, nemo tamen ex sola scriptura certus esse potest, hunc librum, hunc textum, vere esse Verbum Dei, & incorruptum atque invariatum: itaque aliunde Verbi Dei existentia, & ejus genuina conservatio peti, consequenter & fidei assensus in aliquod aliud resolvi debet. Eadem *min. prob.* II. Etiamsi supponatur, hoc volumen, quod dicitur Biblia, vere esse Verbum Dei, adhuc ex ipsa scriptura non constat genuinus & a spiritu S. intentus sensus; is enim persæpe est involutus, scriptura non est ubique clara; multi in ejus explicatione falluntur. ergo hoc ipso in eam solam resolvi non potest assensus fidei. Cum enim quis falli queat in explicanda S. scriptura, ipse quoque assensus falli potest; *Ant. prob.* ipse Petrus ep. 2. III. 16. agnovit, in Epistolis Pauli esse quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras*

ceteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Ibidem I. 19. ait: *hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu S. inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.*

PROB. II. pars. Spiritus privatus, quem jactant Novatores, nullo fundamento nititur: nec potest haberi certitudo, privatum illum instinctum esse a spiritu sancto: ergo in eum non potest fieri resolutio. *Ant. prob.* quoad 1. Nullibi in S. scriptura cuilibet fideli particulari promissa est infallibilis spiritus S. assistentia in explicanda scriptura, & dijudicandis articulis; pro uno enim Petro rogavit CHRISTUS specialiter, *ut non deficiat fides ejus*, ut possit ipse *confirmare fratres.* Luc. XXII. dein, si quisque fidelis haberet infallibilem spiritus S. assistentiam, tunc nullus in fide erraret hodie, aut errasset olim: quod experientiæ repugnat. Si vero aliquibus solum ita spiritus S. assistit: qui sunt illi? quo medio sciunt, se esse de paucis illis illuminatis? Iterum: Novatores negant, Ecclesiam habere hoc spiritus S. lumen infallibile: ergo multo minus privatus quisque illud habet. 39

PROB. *Ant.* quoad 2. non posse haberi certitudinem, quod privatus instinctus sit a 40

spiritu

spiritu S.: vel enim iste spiritus est communis omnibus Christianis? vel omnibus extra romanam Ecclesiam? aut uni solum sectæ v. g. LUTHERI, aut CALVINI? non primum, neque secundum; quia spiritus S. non potest idem de eodem negare simul & affirmare: quod tamen fit inter omnes Christianos, & sectarios v. g. in sola Eucharistia: quorum alii affirmant realem præsentiam Christi in Sacramento, alii negant. Non tertium; quod enim certitudinis indicium Lutherani præ Calvinianis allegare possunt, se ista verba, *hoc est corpus meum*, de reali præsentia explicantes, spiritu S. dictante id facere, falli vero Calvinianos de sensu figurato eadem verba intelligentes. Illud ipsum enim, quod Lutheranus indicabit, spiritus sui criterium, pro se quoque allegabit CALVINUS, SOCINUS, OCHINUS, & quotquot se S. scripturæ judices infallibiles profitentur. ergo a primo ad ultimum non potest in spiritum privatum resolvi.

41 OBJIC. I. S. Scriptura sæpius dicitur *lux, lucerna*, sed lux & lucerna est ipsa ratio formalis *sub qua* videndi, nec requiritur alia lux ad videndam lucem. ergo ipsa scriptura est ipsa ratio formalis credendi, nec requiritur ulterior resolutio.

RESP. Scriptura dicitur *lux* & *lucerna*, sed *lucens tanquam in caliginoso loco*, quæ caligo

caligo per Ecclesiæ definitionem & SS. PP. declarationem auferri debet. *Conc.* est lux perfecta quoad omnes fideles. *Nego*, vel *subd.* est lux, quoad ea quæ *agenda* sunt, & supposita conformi SS. PP. explicatione: *conc.* quoad ea, quæ *credenda* sunt, & præscindendo ab illa explicatione, & Ecclesiæ declaratione, *neg.*

Objic. II. Christus volens Judæis probare se esse Messiam, eos ablegat ad scripturam inquiens Joan. V. 39. *scrutamini scripturas*: ergo in eam fit ultima resolutio. 42

Resp. Christus jam antea per miracula & doctrinam suam evidenter demonstravit, omnes prophetias de Messia factas, suæ personæ convenire, & ideo ad scripturam eos ablegat, non tanquam ad ultimam resolutionem, sed ut tandem agnoscant, ea quæ de Christo scripta sunt, in sua persona aperte impleri: ideo sæpius dixit: *operibus credite.*

Objic. III. Thesalonicenses auscultantes prædicationi Pauli *susceperunt Verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent* act. XVII. 11. ergo illi fidem suam resolvebant in scripturam, nec propterea vituperantur, quin potius zelus eorum comprobatur. 43

Resp. Thesalonicenses, non ideo scrutabantur scripturam, quasi dubitarent de prædi-

prædicatione Pauli, jam enim ſuſceperant Verbum cum omni aviditate, ſed ut ſcripturarum lectione magis proficerent in fide *explicita*, & alios quoque convincere poſſent, ut Grotius obſervavit.

44 Objic. IV. Pro ſpiritu privato profertur textus I. Joan. II. 27. *non neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt & non eſt mendacium.*

Resp. Unctio illa non eſt ſpiritus privatus diſcretionis, ſed ipſa fides jam ab Apoſtolis annunciata, quæ eos certos facere debebat, nullam eſſe habendam fidem pſeudo-Apoſtolis, qui eos volebant ſeducere. Dicebat aliquando Paulus, fideles a ſe converſos ne Angelo quidem credere debere, ſi aliud doceret, quam ipſe docuerat, quoniam doctrinam ſuam eſſe Chriſti, ſibique revelatam fuiſſe, miraculis evidenter demonſtraverat.

45 Resolut. IV. Fidei reſolutio fit unice in authoritatem ſeu veritatem Dei revelantis, quatenus de eadem per Eccleſiam Catholicam, notis ſuis & ſignis credibilitatis affectam, evidenter conſtat.

Senſus reſolutionis eſt iſte: Unicum motivum *formale*, cur myſteriis revelatis præſtetur aſſenſus, eſt authoritas, ſeu veritas

tas divina infallibilis: Deum vero eſſe locutum, ſeu myſteria revelaſſe, evidenter credibile eſt; quoniam Eccleſia, *una, ſancta, Catholica*, ſeu univerſalis, & *Apoſtolica*, tot inſuper miraculis clara, de revelatione facta teſtatur, hoc obſervato

Prob. I. pars. immo ſupponitur ex N. 32. In illud enim ſolum fidei noſtræ aſſenſus reſolvi poteſt, qnod eum firmum & certum, atque ab omni periculo erroris immunem reddit, nec in aliquid aliud tanquam rationem *ſub qua* refundi petit: atque hæc unice eſt authoritas & veritas Dei revelantis; hæc enim nec fallere nec falli poteſt, nec datur ulterior ratio, cur Deo ſumme veraci, & infallibili credam: ergo in hanc tanquam rationem formalem *ſub qua* unice reſolvitur fidei aſſenſus.

Prob. II. pars. De exiſtentia revelationis 46
non poteſt certo conſtare, niſi per Eccleſiam, notis ſuis & ſignis credibilitatis, maxime autem dono miraculorum, affectam: *ergo &c. Ant. prob.* Ipſe Chriſtus Divinitatem ſuam Judæis revelans, veritatem revelationis ſuæ evidenter credibilem aſſeruit, propter miracula, quæ eum in finem patravit. Sic enim ait Joan. XVI. *ſi mihi non vultis credere, operibus credite.* & Joan. XIV. *propter opera ipſa credite*, videlicet me verum dicere, dum Deum me profiteor. In hunc finem reſuſcitavit Lazarum Joan. XI.

ubi ita loquitur : *propter populum , qui circumſtat , dixi ut credant , quia tu me miſiſti ; hæc cum dixiſſet , voce magna clamavit : Lazare veni foras* , hæc ipſa poſt AUGUSTINUM multis in locis mens eſſe videtur D. THOMÆ 22. q. 2. a. 9. ad 3. docentis : „ ille qui credit , habet ſufficiens inductivum ad credendum ; inducitur enim „ authoritate Divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ. vid. & 3. p. q. 43. art. 1. in corp.

47 PROB. II. ratione. Ad evitandum circulum vitioſum fides debet reſolvi in illud, quod eſt evidenter notum , & prudenter negari a nemine poteſt : atqui infideli , coram quo ſupponitur facienda fidei reſolutio , nihil poteſt eſſe evidenter notum & prudenter innegabile , præter Eccleſiam ſuis notis inſtructam , & motivis credibilitatis , maxime dono miraculorum affectam, ergo in eam ultimato reſolvi debet, non quidem tanquam in motivum , ſed in teſtimonium factæ a Deo revelationis. *maj. prob.* jam enim paullo ſupra probatum eſt , hanc reſolutionem fieri non poſſe in humanum ratiocinium , neque in ſcripturam S. neque in ſpiritum privatum, aliud autem nihil ſupereſt.

48 PROB. III. Ad hoc, ut credam Deo revelanti , evidenter credibile , & prudenter innegabile eſſe debet, Deum hoc ipſum quod credo, revelaſſe: atqui præter Ec-

cleſiam

cleſiam, & miracula nihil eſt, quod exiſtentiam revelationis evidenter credibilem faciat. *ergo.*

Prob. IV. Evidenter certum eſt, Deum 49
ad confirmationem falſitatis non poſſe patrare miracula, patravit autem miracula plurima ad confirmandam doctrinam Chriſtianam, ſeu romano-catholicam. ergo evidenter certum eſt, eam tradere veram doctrinam, conſequenter Verbum Dei, & ſic de exiſtentia revelationis evidenter conſtat; miracula vero a Chriſto, Apoſtolis, ſucceſſoribus, patrata fuiſſe, & perpetua ejusmodi extare, tam certum eſt, quam exiſtere Romanam Eccleſiam; quoniam innumeri teſtes, & fide digniſſimi etiam de viſu teſtantur: quid enim tot ſanctorum corpora per aliquot ſæcula incorrupta: oleum defluens ex oſſibus S. Walburgæ & aliorum: reſuſcitatio mortuorum, illuminatio cæcorum, greſſus claudorum, niſi perpetua miracula ſunt, quorum pleraque in fidei chriſtianæ confirmationem patrata ſunt, & in nulla alia ſecta contigerunt.

CAPUT II.

De actu interno & externo fidei.

§. I.

De neceſſitate fidei internæ ad juſtificationem & ſalutem.

50 De fidei actu *interno*, qui conſiſtit in firmo aſſenſu veritatibus revelatis ob Divinam authoritatem præſtito, hic ſermo eſt. Cum autem, ut S. AUGUSTINUS ait de præd. SS. c. 2. nemo aliquid credat, niſi prius cogitaverit eſſe credendum, hinc illa repetenda ſunt, quæ de pio credulitatis affectu, ſeu actu prævio voluntatis, quo ad præſtandum aſſenſum intellectus inclinatur, de gratia actuali dicta fuerunt. Cum enim veritates revelatæ non ſint evidentes, nec intellectum convincant, aut ad aſſenſum neceſſitent, prout tamen in principiis naturalibus certis & evidentibus contingit, aliquid præcedere debet, quod eum ad aſſentiendum potius quam diſſentiendum determinet: & hoc nil aliud eſt, niſi pia illa voluntatis motio, ſeu *credulitatis affectus*, de cujus neceſſitate jam præoccupatum eſt Tom VI. De *gratia actual.* n. 61. eamque ſupernaturalem eſſe debere, ibidem n. 69. oſtenſum fuit. Hinc & œconomia actuum ſibi ſuccedentium e n. 58. in memoriam revocanda.

Quid

Quid ſit fides *explicita*, quid *implicita*, ſæpius hucusque dictum. Alia quoque eſt neceſſitas *medii*, alia *præcepti*. Illud neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem dicitur, ſine quo etiam invincibiliter ignorato, vel deficiente, ſalutem æternam nemo aſſequi poteſt, v. g. baptiſmus a parvulo in re, vel ab adulto, ſi ejus copia deſit, in voto ſuſceptus. Neceſſitate *præcepti* neceſſarium eſt, quod adhiberi debet, quando occaſio eſt: alias ſufficit illius votum ſeu deſiderium. Ita peccatori neceſſaria eſt diſtincta peccatorum Confeſſio. De utraque neceſſitate quæritur, an, & quænam fides ad juſtificationem & ſalutem neceſſaria ſit; eſt autem controverſia maxime de fide *explicita* myſterii, SS. Trinitatis, & incarnationis; *implicitam* enim neceſſariam eſſe, nemo negat; cum hæc etiam in veteri teſtamento neceſſaria fuerit. His obſervatis ſtatuitur 51

Resolutio I. Actus internus fidei ſupernaturalis & perſonalis adulto neceſſitate medii neceſſarius eſt ad juſtificationem & ſalutem. 52

Prob. ex S. Scriptura, quæ paſſim docet: ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo: juſtum ex fide vivere: hominem juſtificari per fidem: hominem ſalvari per fidem: eum qui non credit, condemnandum, imo jam judicatum eſſe. Docet etiam

Concilium Tridentinum Seſſ. VI. cap. 7. baptiſmum eſſe Sacramentum fidei ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio: & cap. 8. fidem eſſe ſalutis humanæ initium, fundamentum & radicem omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo & ad filiorum ejus conſortium pervenire. Jure itaque damnata eſt ab Innocentio XI. propoſ. 64. hujus tenoris: *abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & incarnationis D. N. J. Chriſti*: ergo ad juſtificationem neceſſaria eſt fides: juſtificatio autem neceſſaria eſt ad ſalutem: ergo ad ſalutem neceſſaria eſt fides. Quod autem hæc debeat eſſe ſupernaturalis, non tantum ex parte objecti, ſed etiam ex parte actus, ſeu entitative, definitum eſt contra Pelagianos & ſemipelagianos; quia nullus actus entitative naturalis poteſt ad juſtificationem diſponere, ut patet ex concilio Tridentino Seſſ. VI. can. 3. „ ſi quis dixerit, ſine præveniente ſpiritus S. inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare &c. poſſe, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit. „

53 Objic. I. Paulus Rom. I. 20. gentiles philoſophos inexcuſabiles dicit; *quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*: ex quo infertur, quod potuiſſent per amorem Dei naturalem, ſine fide ſupernaturali, juſtificari & ſalvari. II.

II. Infideles poſſunt obſervare præcepta naturæ; quia *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt: factores autem legis juſtificabuntur:* ſed his in Prælect. de gratia actuali jam fuit ſatisfactum, ubi oſtendi, quod Deus non poſſit diligi ut author naturæ, quin diligatur ut author gratiæ, conſequenter ſuppoſita fide ſupernaturali, & quod etiam lex naturæ non poſſit obſervari ſine gratia &c. quæ ibi videri poſſunt.

Resolutio II. Ad juſtificationem & ſa- 54
lutem neceſſitate medii neceſſaria eſt fides explicita Dei, ut remuneratoris, Trini & Chriſti mediatoris. *Eſt communior thomiſtarum.*

Prob. I. pars de fide Dei ut remuneratoris. Paulus ad Heb. XI. ait: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*, damnata quoque eſt ab Innocentio XI. ſequens propoſitio 22. *Non niſi fides unius Dei neceſſitate medii neceſſaria videtur, non autem explicita remuneratoris.*

Prob. II. Ex concilio Tridentino, quod Seſſ. VI. cap. 6. docet, eam fidem eſſe neceſſariam ad juſtificationem, *qua libere movemur in Deum, credentes, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt:* ſed nemo poteſt

credere quæ promiſſa & revelata ſunt, niſi credat Deum eſſe remuneratorem bonorum & vindicem malorum. *ergo.*

55 Prob. II. pars de fide explicita Trinitatis & Incarnationis : I. Fides *implicita* Trinitatis & Meſſiæ neceſſaria erat in Vet. Teſtament. ergo in novo *explicita* neceſſaria eſt : *Ant. prob.* ex D. Paulo in ep. ad rom. & Galat. ubi ait legem non juſtificare, ſed *fidem in Chriſtum.* Sic ad Rom. III. 22. *juſtitia Dei per fidem JESU Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum, non enim eſt diſtinctio unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex Fide, & præputium per fidem :* Idem *ant. prob.* ex D. Augustino l. de Catechizandis rudibus cap. 28. & de nat. & grat. c. 44. „ Ea „ fides juſtos ſanavit antiquos, quæ ſanat „ & nos, id eſt mediatoris Dei & homi- „ num, hominis Chriſti JESU, fides ſan- „ guinis ejus, fides crucis ejus, fides „ mortis & reſurrectionis ejus. „ *Conſeq.* etiam *prob.* quia utique nunc, dum myſteria fuerunt explicite revelata, major requiritur fides, quam eo tempore, quo non niſi figuram noſtrorum myſteriorum habebant, ut colligitur e S. Scriptura Gal. III. 23. *Prius quam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat* & epheſ. III. 5. *in aliis generationibus non eſt agnitum myſterium Chriſti, ſicut nunc revelatum eſt.* Confirmatur hæc

ratio

ratio authoritate S. Thomæ in 3. ſent. D. 25. q. 2. a. 2. ſolut. 2. „ In ſecundo autem ſtatu
„ poſt peccatum, ante adventum Chriſti,
„ quidam habebant Fidem *explicitam* de
„ redemptore, quibus revelatio facta erat,
„ qui *majores* dicebantur; quidam autem,
„ ut *minores*, fidem *implicitam* habebant,
„ in fide majorum . . . In tertio autem
„ ſtatu poſt adventum Chriſti, quia jam
„ myſterium redemptionis impletum eſt
„ corporaliter, & viſibiliter, & prædica-
„ tum, omnes tenentur ad explicite cre-
„ dendum: & ſi aliquis inſtructorem non
„ haberet, Deus ei revelaret, niſi ex ſua
„ cauſa remaneret. „

Prob. II. præcipue de fide Chriſti me- 56
diatoris. Ad juſtificationem adulti neceſſitate medii neceſſaria eſt explicita fides in eum, per quem unice juſtificatio haberi poteſt: ſed juſtificatio unice haberi poteſt per Chriſtum mediatorem, ut patet ex Act. IV. 12. *Non eſt in aliquo alio ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. ergo. Maj. prob.* Ideo neceſſaria eſt fides *explicita* Dei unius, & etiam authoris ſupernaturalis ſeu remuneratoris, & quidem *neceſſitate* medii, quia non niſi a Deo taliter cognito haberi poteſt juſtificatio. ergo etiam ideo neceſſaria eſt fides explicita in Chriſtum, quia non niſi per Chriſtum haberi poteſt juſtificatio.

57 PROB. III. ex TRIDENTINO Seſſ. VI. c. 6. ubi docet: „ juſtificandum debere credere illud „ imprimis, à Deo juſtificari impium per „ gratiam ejus per redemptionem quæ eſt „ in Chriſto. „ ergo neceſſaria eſt fides in Chriſtum. Hoc videtur expreſſe docere D. Th. 2. 2. q. 2. a. 7. in corp. ubi ait: „ Dicendum, illud proprie & per ſe pertinet ad objectum fidei, per quod homo „ beatitudinem conſequitur. Via autem „ hominibus veniendi ad beatitudinem & „ myſterium incarnationis & Paſſionis Chriſti. . . . & ideo myſterium Incarnationis „ aliqualiter oportuit omni tempore eſſe „ creditum apud omnes, diverſimode tamen. „ Dein dicit, illud fuiſſe *explicite* creditum ab Adamo ante peccatum, ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ., non vero quoad liberationem a peccato. In lege naturæ & ſcripta, ait, a majoribus fuiſſe creditum *explicite*, a minoribus implicite credi debuiſſe, „ ac denique addit: poſt tempus autem „ gratiæ revelatæ, tam *majores*, quam *minores* tenentur habere fidem *explicitam* „ de myſteriis Chriſti, præcipue incarnationis. „ quod autem S. THOMAS loquatur de neceſſitate *medii*, ex eo probo; quia concludit, eodem modo neceſſariam eſſe nunc fidem *explicitam* in Chriſtum, quo olim in l. v. neceſſaria fuerat fides *implicita*: ſed hæc erat neceſſaria *neceſſitate medii*: ergo & explicita modo neceſſa-

ria

ria eſt neceſſitate medii, & quidem omnibus, ut loquitur S. Doctor.

Prob. IV. De Myſterio SS. Trinitatis. 58
Chriſtus dum Apoſtolos in orbem miſit ad prædicandum Evangelium, voluit, ut fidem *explicitam* Trinitatis prædicarent: ergo & voluit, ut gentes explicite crederent; alias fruſtra cum tanto labore & ſudore miſſi fuiſſent, ſi ſufficeret fides implicita. *Ant. prob.* Matth. ult. ait, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine P. & filii & ſpiritus S.* & Marci XVI. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Quid voluit credi Chriſtus, niſi quod prædicarunt Apoſtoli? quid vero præcipue prædicabant, niſi Trinitatem & Chriſtum redemptorem? qui hæc explicite non credit, Chriſto indice condemnabitur. ergo fides *explicita* SS. Trinitatis neceſſaria eſt ad juſtificationem.

Prob. V. e S. Thoma, qui num. 57. 59
allegatus art. 8. in corp. ait: „ myſterium „ incarnationis Chriſti explicite credi non „ poteſt ſine fide Trinitatis: quia in myſterio Incarnationis Chriſti hoc continetur, quod filius Dei carnem aſſumpſerit, quod per gratiam ſpiritus S. mundum renovaverit, & iterum, quod de

„ ſpiritu S. conceptus fuerit. Et ideo eo„dem modo, quo myſterium incarnatio„nis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite „creditum a majoribus, implicite autem „& quaſi obumbrate a minoribus: ita „etiam myſterium Trinitatis; & ideo eti„am omnes poſt tempus gratiæ divulga„tæ tenentur ad explicite credendum my„ſterium Trinitatis.„

Prob. ult. tota ratio, cur adverſarii negent neceſſitatem medii ad juſtificationem, eſt; quia aliqui invincibiliter ignorant iſta myſteria, cum fides eorum non poſſit haberi, niſi ex prædicatione quam non omnibus fieri, manifeſtum eſt, ſed hæc ratio nulla eſt. *ergo. min. prob.* Etiamſi ordinaria fides non poſſit haberi, niſi ex auditu, id eſt, per prædicationem: hæc tamen vel non denegatur, vel per internam revelationem extraordinarie ſuppletur homini facienti, quod in ſe eſt. *ergo. ant. prob.* imprimis ex S. Augustino, qui docet, etiam illos, quibus Evangelium non eſt prædicatum, non eſſe excuſabiles. Nam l. de corrept. & grat. c. 7. ait: „A dam„natione ſe non liberabunt, qui dicere „potuerunt, ſe non audiviſſe Evange„lium. . . . quicunque ab illa generali Dam„natione iſta Divinæ gratiæ largitate diſ„creti ſunt, non eſt dubium, quod & „procuratur Evangelium audiendum, & „cum audiunt, credunt.„ Idem docet Tho-

MAS n. 55. cit. Idem *ant. prob.* 2. exemplo Cornelii Centurionis, & Evnuchi Reginæ Candacis, quorum uterque habebat fidem implicitam in Chriſtum: ſed ad inſinuandum, quod poſt Evangelium promulgatum, illa non amplius ſufficiat, ad CORNELIUM miſſus eſt PETRUS, ad Evnuchum PHILIPPUS, ut obſervat S. AUGUSTINUS, de prædeſt. S. c. 7. de Cornelio loquens: „ ſi poſſet ſine fide Chriſti eſſe ſalvus, „ non ad eum ædificandum mitteretur ar- „ chitectus Apoſtolus Petrus. „

OBJIC. I. D. THOMAS docet, ad juſtificationem ſufficere fidem implicitam, vel explicitam: ergo hæc non eſt neceſſaria neceſſitate medii. *ant. prob.* 3. p. q. 69. a. 4. ad 2. Cornelius & alii ſimiles conſequuntur gratiam & virtutes per fidem Chriſti, & deſiderium baptiſmi explicite, vel *implicite.* 60

RESP. D. THOM. docet, ad juſtificationem ſufficere fidem *implicitam*, pro eo tempore, quo Evangelium non fuit ſufficienter ubique promulgatum. *Conc.* modo, poſtquam fuit in toto orbe prædicatum. *Nego.*

OBJIC. II. Si quis in ſylvis nutritus ductum rationis ſequeretur in fuga mali & proſecutione honeſti, ille ut D. THOMAS q. XIV. de verit. art. XI. ad 1. docet, juſtificaretur & ſalvaretur: ſed talis non haberet 61

fidem

fidem *explicitam*; ſupponitur enim, quod de Evangelio nihil unquam audierit: fides autem eſt in auditu. *ergo.*

RESP. *Nego min.* ſi enim ejusmodi homo faceret per gratiam quod eſt in ſe, obſervando legem naturæ, tunc Deus vel prædicatorem, vel Angelum ad eum mitteret, vel per immediatam illuſtrationem eum in fide explicite inſtrueret. Ut ipſe S. THOMAS ibidem docet.

62 OBJIC. III. Homo perveniens ad uſum rationis tenetur ſe ad Deum convertere ex toto corde, & quidem tali converſione, quæ ſit juſtificativa: debet ergo præcedere fides. Sed non poteſt haberi fides *explicita* in tali puero inter barbaros & infideles educato: ergo talis poteſt juſtificari per fidem *implicitam*.

RESP. eodem modo: cum illud inſtans non ſit phyſicum, aut mathematicum, ſed morale, ſi puer primæ gratiæ illuſtranti cooperetur, ſeque ad Deum authorem ſupernaturalem convertat, tunc Deus illi ulteriores conferet gratias, ipſique myſteria explicite credenda revelabit, aut inſtructorem mittet, ut contigit Cornelio, Evnucho, pluribusque gentilibus, qui teſte authore cæleſtis Hierarch. c. 5. miniſterio Angelorum in fide fuerunt inſtructi.

OBJIC.

OBJIC. IV. In lege veteri ſufficiebat fides implicita ; quia tunc non erat explicite revelatum omnibus neo-promulgatum myſterium Trinitatis & Incarnationis : ergo etiam nunc ſufficit, ſaltem in tali homine, cui de revelatione & Evangelio non conſtat ; eodem enim modo talis homo ſe habet nunc, quales illi ante Chriſti adventum ſe tunc habebant. 63

RESP. Nego *conſeq.* diſparitas eſt ; quia in L. V. iſtud myſterium pauciſſimis erat explicite revelatum, & eum ſolum in finem, ut reliqui *implicite*, in fide majorum crederent. In N. autem L. ita fuit palam promulgatum, ut omnes, generaliter loquendo, poſſent & deberent in ejus notitiam venire, illudque explicite toti mundo prædicatum, etiam explicite credere. Differt ergo ejusmodi homo ab illis L. V. toto ſtatu. Quin, ex iſto argumento etiam ſequeretur, neque neceſſitate *præcepti* ad iſtam fidem explicitam omnes obligari. Quamvis autem aliquis in hypotheſi ignorantiæ invincibilis, quam tamen inficior, non peccaret peccato infidelitatis perſonali, nec ob iſtud damnationem æternam incurreret, eam tamen incurreret propter originale non dimiſſum, & propter alia quoque perſonalia ; quia ſine fide explicita nequit haberi juſtificatio. Idem dicendum de Baptismo, cujus etiam invincibiliter ignorati defectu parvulus damnatur.

OBJIC.

64 Objic. V. S. Paulus Hebræ. XI. ad justificationem ſolum requirit fidem explicitam de exiſtentia Dei, ut authoris ſupernaturalis, & remuneratoris; ait enim: accedentem ad Deum credere oportet *quia eſt*, & inquirentibus ſe *remunerator* eſt. ergo explicita fides Trinitatis & incarnationis non eſt neceſſaria.

Resp. S. Paulus vult, quod pro omni ſtatu *requiratur* fides Dei ut remuneratoris: non vero, quod pro omni ſtatu *ſufficiat.* Ita D. Thomas 2. 2. q. 2. a. 8. ad 1. „ Dicendum, quod illa duo explicite credere de Deo, omni tempore, & quoad „ omnes *neceſſarium* fuit: non tamen eſt „ *ſufficiens* omni tempore quoad omnes.„

65 Resolutio III. Præter myſteria nunc enumerata, neceſſitate præcepti credenda & memoriter tenenda ſunt ea, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolico, oratione dominica, in decalogo, ſaltem quoad ſubſtantiam, ſacramentum Baptiſmi, Euchariſtiæ & pænitentiæ, & etiam ſacramenta reliqua, ſaltem a ſuſcipientibus: debet inſuper quilibet ſcire præcepta Eccleſiæ generalia & particularia ſuo ſtatui propria. *Eſt quoad rem communis.*

Prob. Quoad ſymbolum Apoſtolorum, & orationem dominicam, authoritate S. Augustini, vel quisquis ſit author ſerm. 265. neſcio,

„ neſcio, inquit, qua fronte ſe Chri-
„ ſtianum dicat, qui paucos verſus in ſym-
„ bolo & oratione Dominica parare diſſi-
„ mulat. „ Et etiam ex S. Thoma qui 2. 2. q. 2. a. 6. in corp. ait: „ quantum ad prima
„ credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tene-
„ tur homo explicite credere, ſicut &
„ tenetur habere fidem. „ Ratio eſt, quia non ſufficit omnia credere in communi, quæ credit Eccleſia, ſed quædam explicite credenda ſunt, maxime ea, quæ ſunt media ad conſequendum finem: ſed ea, quæ in ſymbolo & oratione dominica continentur, ſunt media ad finem, nempe conſecutionem æternæ beatitudinis. *ergo*, Et hæc ratio etiam procedit de reliquis in reſolutione enumeratis; nam ſine obſervantia mandatorum, uſu ſacramentorum, & accurata adimpletione eorum, quæ cujusvis ſtatui & officio propria ſunt, nemo finem & ſalutem aſſequi poteſt. Unde etiam ſequitur, Parochis & aliis curam animarum exercentibus, maximopere incumbere, ut ſubditos de iis inſtruant, quæ credere & obſervare tenentur. plura paſſim leguntur in Theologis moralibus.

Resolutio IV. Actus internus fidei ſæpius in vita elici debet & quidem vi præcepti illius fidei generalis in primo inſtanti morali uſus rationis, vel dum homo unam religionem præ altera eligit. 2. In gravi tentatione circa fidem. 3. In articulo mortis, 66

mortis, ubi contra tentationes se præmunire debet. Vi aliorum præceptorum obligatur homo ad actum fidei, quando debet elicere actum spei vel charitatis theologicæ, ad quas præsupponitur fides: in usu sacramentorum, præcipue Eucharistiæ, in actibus religionis &c. quæ omnia fusius apud Theologos morales & Athecheticos pertractantur. Notandæ sunt tamen propositiones hac in materia damnatæ, quibus simul resolutio nostra illustratur. Prima inter damnatas ab ALEXANDRO VIII. *homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.* 17. Ab INNOCENTIO XI. proscripta: *satis est actum Fidei semel in vita elicere.* 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale & secundum se.* 65. ejusdem: *sufficit mysteria SS. Trinitatis & incarnationis semel credidisse.* De obligatione eliciendi actum internum Fidei recurret sermo infra agendo de charitate; toties enim etiam urget actus Fidei, quoties actus spei & charitatis exerceri debet.

§. II.

De necessitate externæ fidei professionis.

67 Sicut quodlibet aliud præceptum, ita & Fides duplex est, unum *negativum* de

Fide

Fide vera non neganda, quod obligat ſemper & pro ſemper: alterum *affirmativum* de fide exterius coram legitima poteſtate profitenda, certis tantummodo temporibus obligans. De utroque agendum breviter. Poteſt vero præceptum fidei negativum violari dupliciter: verbo, vel facto. *Verbo*, ſi quis neget oretenus, ſe Chriſtianum aut Catholicum eſſe: *facto*, ſi ſignis quibusdam utatur falſam religionem proteſtantibus: aut iis ſignis abſtineat, quæ alias Religionis veræ proteſtativa ſunt, & hic & nunc ut tales agnoſcuntur aut expetuntur ad Religionis profeſſionem. v. g. ſi Catholicus ideo nollet abſtinere a carnibus, die ab Eccleſia præcepto, ne pro Catholico habeatur, iis in circumſtantiis, ubi infideles & hæretici exinde colligerent, illum non communicare cum Eccleſia Catholica, ſed potius cum ſecta ab eadem diverſa.

Quod præceptum fidei *negativum* attinet, 68
fuere, jam olim, & ſunt hodie, qui licitum arbitrabantur, fidem exterius negare ad vitandum grave incommodum vitæ aut bonorum fortunæ, vel famæ. Primus eorum fertur SIMON Magus, qui tempore perſecutionis Chriſtum negare, & idolis thus adolere permittebat, ea ratione ductus; quia cum negaret, Chriſtum fuiſſe mortuum pro nobis, ſed alium quemdam SIMONEM Cyrenæum nomine Chriſti; hinc

etiam ſtolidum eſſe aſſerebat, ſi quis moriatur pro Chriſto ejusque fide. Hunc ſecuti ſunt GNOSTICI & BASILIDIANI, & quotquot ex eorum ſchola prodierunt. Poſt medium ſæculi II. aſſerebant *Heraclionitæ*, Chriſtianum ad fidem exterius profitendam, modo eam interius retineat, minime teneri: in eundem errorem conſpirarunt ELCESÆI, ſeu HELCESEITÆ, de cujus hæreſis origine non conveniunt eruditi. Huc revocari poſſunt LIBELLATICI, quorum aliqui contra præceptum affirmativum, alii contra negativum peccabant. Nonnulli enim Chriſtiani tempore perſecutionis libellos a magiſtratibus pro pecunia impetrabant, ne cogerentur a ſatellitibus fidem ſuam profiteri, & idolis ſacrificare: aliis dabatur libellus, qui teſtabatur eos coram judice Chriſtum negaſſe, ut adeo a vexatione gentilium forent immunes. Hi dicebanter lapſi in perſecutione, qui difficulter ad pænitentiam admittebantur: cum econtra CONFESSORES, ſive illi, qui fidem Chriſtianam conſtanter fuerant confeſſi, ejusmodi aliisque peccatoribus apud Epiſcopos ſuo merito & interceſſione impetrabant pœnitentiæ relaxationem: unde indulgentiarum origo vel uſus derivari poteſt, quod non eſt hujus loci. PRISCILLIANISTARUM dogma fuit, pro occultandis ſectæ ſuæ arcanis non ſolum fidem negare, ſed & mendacium juramento confirmare licitum eſſe: unde

unde hoc illorum erat axioma : *Jura, perjura, ſecretum prodere noli.* Denique Libertini, & Anabaptistæ, Georgio David authore, eandem ſuis fecere licentiam, ſcilicet negandi fidem exterius, modo eam interius retineant. Sed, quod magis mirandum, eo proceſſit etiam Catholicorum quorundam, laxiſſimorum probabiliſtarum, ſcandaloſa doctrina, ut affirmarent, non ſolum licitum eſſe Catholico a legitimo judice de ſua religione interrogato eam tacendo diſſimulare, ſed etiam verbis æquivocis, & ſola reſtrictione mente reſervata exterius negare. Jure propterea ab Innocentio XI. damnatæ fuerunt propoſitiones ſequentes : 18. *ſi quis a poteſtate publica interrogatur, fidem ingenue confiteri ut Deo & fidei glorioſum conſulo : tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.* 25. *Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis* vid. etiam prop. 26. 27. 28. apud authores paſſim. His obſervatis ſtatuitur

Resolutio. I. Nunquam licet fidem verbo aut facto negare. Eſt de fide.

Prob. I. pars id non licere Verbo : imo 69
ex S. Scriptura : nam Chriſtus Matth. X. 33. expreſſe ait : *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt :* Rom. 10. *corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſa-*

lutem. Probatur II. authoritate Ecclesiæ, quæ lapsos in persecutione, sive eos, qui fidem exterius negaverant etsi mente retentam, gravissimi peccati reos arguit, & severissimæ pænitentiæ legibus subjecit: econtra SS. CONFESSORUM & Martyrum fortitudinem ac fidei constantiam summis celebravit laudibus. Rigor pænarum maxime colligi potest ex conc. ELIBERITANO, ANCYRANO & NICÆNO I.

70 PROB. Ratione. Mendacium est peccatum, & quidem in re gravi mortale, nullo unquam tempore etiam in periculo vitæ licitum: sed is, qui fidem exterius negat, mentitur deliberate in materia gravissima; agitur enim de honore Christi & Christiani nominis decore: ergo est gravissimum peccatum, contra præceptum fidei externum. Non tamen est hæresis aut infidelitas proprie dicta: quod bene notandum pro praxi; quoniam qui fidem exterius negat, quam tamen interius retinet, non incurrit pænas in hæreticos statutas, nec peccatum reservatum: sicut tamen hæresis crimen reservatum est.

71 PROB. II. pars nec facto licere negare fidem, aut falsam religionem simulare. I. Ex S. scriptura exemplo Machabæorum, qui gravissimum crimen reputabant, si vescendo cibis a lege prohibitis fidem suam negarent, aut negare se saltem fingerent: legatur

legatur lib. II. Machabæorum c. 6. & seq. id ipsum docet Christus apud Matth. toto fere Cap. X. præcipue his verbis: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam:* quod fiet utique, si quis Christum confiteri erubescat. Item Lucæ IX. *qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet.* Contra oppositum errorem maxime scripserunt TERTULLIANUS de Idololatria, & in Apologetico; CYPRIANUS l. de lapsis & AUGUSTINUS l. de mendacio. Ratio est, quia idem est an quis verbo vel facto seu signo mentiatur, cum etiam simulatio in re gravi gravissimum peccatum sit.

Quemadmodum religionem falsam simula- 72
re non licet, sic neque veram ob solum temporale emolumentum dissimulare permissum est. Tales enim crypto-catholici de eorum numero esse censentur, qui secreto *confitentur se nosse Deum*, se credere vera Ecclesiæ Romanæ dogmata: *factis autem negant.* ad Tit. I. 16. dum cætus Catholicorum publicos declinant, aut etiam Protestantium templa frequentant, a cibis, ab Ecclesia interdictis non abstinent, ne Catholici esse videantur, & eorum, in quos confidunt, patrocinium amittant. Illi certe Christum, ejusque sermones erubescunt, & Christus eos eru-

 bescet

bescet coram Patre suo Luc. IX. *Corde credunt ad justitiam*, ore autem & opere non faciunt *confessionem ad salutem*. Rom. X. 10. Aliud Christus docuit: Matth. X. 37. *Qui amat Patrem & matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus, & qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Quamvis enim naturali divinoque præcepto quisque teneatur parentes, & hi filios diligere, hunc tamen amorem Christo præponere, & propter parentum dilectionem Christum dissimulare non licet: ergo id multo minus permissum est ad declinandum aliud minus quoddam incommodum, aut emolumentum temporale obtinendum. *Quid enim proficit homini*, docente Christo Luc. IX. 25. *si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat*, & statim subjungit: *Nam qui erubuerit me & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua & Patris, & sanctorum Angelorum.* Vel enim ejusmodi proselyti nulla frequentant nec protestantium, nec Catholicorum templa? & tunc videbuntur de genere libertinorum & indifferentium: aut intersunt Protestantium cætibus? & eorum sectæ videbuntur addicti. Utrinque autem per omissionem professionis catholicæ, quæ & opere demonstranda est, subtrahitur cultus Deo debitus, & utilitas proximo impenden-

pendenda, qui per publicam professionem ædificari, per dissimulationem offendi potest.

Si primi Christiani hac seu simulatione seu dissimulatione uti voluissent, aut ejus usum licitum existimassent, paucos certe Ecclesia Confessores & Martyres, hoc est, Testes habitura fuisset. Igitur Ecclesia constanter judicavit, ne pro vita quidem servanda veram religionem dissimulari posse: quanto id minus licebit propter minus quoddam lucrum temporale. Viderint ergo illi, qui istam dissimulationem non permittunt modo, sed & publice docent, & in usum deducunt, quomodo hanc duplicitatem cum Evangelica simplicitate componant, & contra Christi effatum duobus dominis serviri, & in utramque partem claudicari posse, comprobent.

Inde tamen non sequitur, fugam in per- 73
secutione regulanter esse illicitam, ut contendebat Tertullianus; eam enim Christus permisit Matth. X. *cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*; & suo exemplo viri sanctissimi comprobarunt, inter quos Athanasius, qui etiam Apologiam pro fuga sua conscripsit. Ad persecutionem quoque declinandam, quia de constantia inter atrocissima tormenta diffidebant, primi Monastici instituti authores, Paulus, Antonius & reliqui in eremum discessere, nunquam propterea improbati.

Excipiendus est casus, quo ex Episcoporum & Clericorum absentia, quibus animarum cura incumbit, plebis Christianæ salus periclitaretur; tunc enim pastoris est, pro ovibus sibi creditis animam ponere, eosque in fide suo exemplo etiam firmare. Legatur S. AUGUSTINUS epist. 180. ad Honoratum.

74 Quæ contra hactenus dicta objici possunt, levis momenti, & a citatis Patribus dudum dissipata sunt. Proferunt insuper exempla quædam sacræ scripturæ pro pallianda simulatione in materia fidei. I. JEHU finxit se velle adorare Baal & sacrificare cum ejus sacerdotibus, ut eos posset interficere, hujusque factum a Deo fuit probatum 4. Reg. X. 30. *quia studiose egisti quod rectum erat &c.* II. Apostoli aliquoties simularunt religionem Judaicam: nam Petrus simulabat religionem Judaicam ad Gal. 2. ipse Paulus circumcidit Timotheum, cum tamen legalia & ceremoniæ V. T. jam tunc fuerint mortiferæ. *ergo &c.*

RESPOND. ad exemplum Jehu cum D. THOMA hic q. III. a. I. ad 2., „ quod simulationem Jehu non sit necesse excusare „ a peccato vel mendacio, quia malus „ fuit, utpote ab Idololatria Jeroboam non „ recedens: commendatur tamen, & temporaliter remuneratur a Deo, non pro

simula-

„ ſimulatione, ſed pro zelo, quo deſtruxit „ cultum Baal. „

Respond. ad II. Lex ceremonialis V.T. poteſt conſiderari in triplici ſtatu: 1. ab illius inſtitutione uſque ad mortem Chriſti, quo tempore fuit facta mortua & inutilis. 2. A morte Chriſti uſque ad Evangelii ſufficientem promulgationem, quæ contigiſſe docetur circa tempus deſtructi templi Jeroſolymitani, quo temporis lapſu jam nec utilis, nec neceſſaria, ſed Judæis adhuc indifferens erat. 3. Poſt promulgatum tandem Evangelium inſuper mortifera effecta eſt, ita ut ſine peccato jam obſervari nequiverit. Ideo tempore illo intermedio Apoſtoli in quibusdam circumſtantiis, licite ſervare poterant legalia, tanquam res indifferentes. Quod vero Cepham attinet a D. Paulo reprehenſum, eum multi a Petro Apoſtolo diſtinguunt, & quemdam e 70. diſcipulis fuiſſe contendunt, ut oſtendo in Prælectionibus de legibus Tom. IV.

Resolutio II. Datur etiam præceptum affirmativum de profitenda exterius fide, obligans, quoties per ejus omiſſionem ſubtrahitur cultus Deo debitus & utilitas proximo impendenda. Ita D. Thomas hic q. 2. a. 2. in corp. „ Præcepta affirmativa non „ obligant ad ſemper, etſi ſemper obligent: „ obligant autem pro loco & tempore &c. 75

„ sic ergo confiteri fidem non semper ne„ que in quolibet loco est de necessitate „ salutis, sed in aliquo loco & tempore, „ quando scilicet per confessionis hujus „ omissionem subtraheretur honor debitus „ Deo, & etiam utilitas proximis impen„ denda: puta, si quis interrogatus de „ fide, taceret, & in hoc crederetur, vel „ quod non haberet fidem, vel quod fides „ non esset vera, vel alii per ejus tacitur„ nitatem averterentur a fide. „ Ratio est. Quia quando fidelis interrogatur ut testis fidei, tunc debet veritatem fidei exterius profiteri; sicut quivis alius testis legitime interrogatus veritatem fateri tenetur. Atqui iis in casibus fidelis interrogatur ut testis. ergo obligatur respondere. Speciali præcepto ad fidei professionem exteriorem obligantur omnes, qui ad beneficia curata, canonicatus & dignitates in Ecclesiis Cathedralibus promoventur: item professores in academiis publicis sive clerici sive laici fuerint, idque ex decreto conc. Tridentini Sess. 24. cap. 12. & Sess. 25. cap. 2. P. & bulla Pii V. *sacrosancta.* motu proprio edita.

CAPUT

CAPUT III.

De ſubjecto fidei, & vitiis oppoſitis.

§. I.

De ſubjecto fidei.

Non de ſubjecto immediato & proximo 76
hic agitur; illud enim eſſe intellectum, cum fides conſiſtat in aſſenſu, extra controverſiam eſt, ſed de ſubjecto remoto & mediato inquiritur breviter, an fides fuerit in Angelis viatoribus aut ſit modo in beatis. 2. An in peccatore etiam hæretico, qui ſolum unum & alterum articulum negat, aliquos adhuc credit. 3. An in dæmonibus, damnatis & animabus purgantibus.

Resolutio I. Angeli viatores habuerunt 77
fidem infuſam ſupernaturalem: ea tamen carent beati in Patria, eſt com. contra Durandum & Lud. Vives.

Prob. I. pars. Angeli erant in gratia ſanctificante creati: ergo etiam cum virtutibus infuſis. 2. De omni viatore ait Paulus *accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Atqui Angeli ante adeptam beatitudinem erant viatores, debebant per proprios actus accedere

cedere

cedere ad Deum, & justitiam adeptam conservare. *ergo.* 3. Ex triplici ratione potest aliquis fide carere, vel propter ignorantiam, & defectum revelationis, vel ob pertinaciam credere nolentis, vel ob viæ consummationem & intuitivam visionem, cum qua non potest consistere obscuritas fidei: sed nulla horum locum habuit in Angelis. *ergo.*

78 PROB. II. pars. fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Sed beati Deum intuitive & clare videntes, atque possidentes, non possunt esse convicti de rebus obscuris. *ergo &c.* Ideo PAULUS I. Cor. XIII. ait: *charitas nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur: ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.* ergo ex mente D. PAULI nec fides nec spes, sed sola charitas remanebit; fides enim evacuabitur.

79 OBJIC. I. contra part. secundam. S. IRENÆUS l. 4. adversus hæres. cap. 15. scribit: „ Paulus ait: omnibus cæteris evacuatis „ manere fidem, spem & charitatem, „ TERTULLIANUS l. de pænit. cap. 12. „ merito „ charitas nunquam excidet, nam cætera „ evacuabuntur, consummabuntur, exhau- „ rien-

„ rientur linguæ, ſcientia, prophetia, per„ manent fides, ſpes, dilectio. „ ergo in beatis manet fides.

Resp. citt. PP. non volunt, quod fides & ſpes maneant in patria ſecundum ſuam rationem *ſpecificam*, ſicut tamen manet charitas; ſed ſolum ſecundum rationem *communem* attingendi ut verum & beatificum, alio tamen modo; nam Deus, ut ſumma veritas non attingitur *obſcure*, ſed videtur *clare*: ut noſtra beatitudo jam non *exſpectatur*, vel deſideratur, ſed fruitive poſſidetur. Card. Gotti Reſpondet: cit. PP. non loqui de gloria, ſed de lege nova, prout opponitur veteri; quod licet ceremoniæ legis veteris evacuentur, in nova tamen lege maneant fides, ſpes, & charitas.

Objic. II. Paulus, & forte non nulli 80
alii viatores viderant Deum intuitive ſaltem tranſeunter & tamen retinuerunt fidem. ergo etiam beati.

Resp. Diſt. vidit intuitive Deum (quod ipſum tamen multi negant) *tranſeunter*, ita ut pro illo inſtanti non habuerit actum fidei: *trans.* vidit *permanenter*: *nego.* cum in D. Paulo, & aliis, ſi tamen intuitive Deum viderint, lumen gloriæ non fuerit per modum habitus perfecti & permanentis, non debebat neceſſario habitum fidei perfectum

perfectum & permanentem excludere, tunc enim formæ contrariæ se solum expellunt, quando sunt in statu perfecto.

81 Objic. III. manet in beatis theologia, etsi nitatur principiis revelatis & obscuris: ergo & fides.

Resp. trans. *ant. neg. conf.* quia fides est essentialiter obscura, & cum clara visione componi nequit, est per accidens, ratione status viæ, quod sit obscura: in patria ex principiis intuitive visis evidentes deducet conclusiones.

82 Resolutio II. Habitus fidei supernaturalis, sed informis manet in peccatore, non infideli, non autem in hæretico vel unum articulum fidei negante, etsi reliquos credat. Est saltem quoad 1. p. de fide contra Luth. & Calv.

Prob. I. pars. ex concilio Tridentino Sess. VI. can. 28. „ si quis dixerit, amissa „ per peccatum gratia simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, „ non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. „ Damnata quoque est propositio 12. ab Alexandro VIII. *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videntur credere, non est fides divina, sed humana.* Ratio est 1. Non quodlibet peccatum, sed sola infidelitas opponitur fidei; manet

manet enim in peccatore motivum formale fidei, ſcilicet authoritas Dei revelantis per Eccleſiam manifeſtata. 2. Peccator eſt membrum Eccleſiæ. ergo debet habere fidem. 3. Ratio, cur hæretici negent fidem in peccatore manere, eſt, quia ſola fide homo juſtificatur: hoc vero falſum eſſe, de juſtificatione monſtratum eſt. 4. Spes non amittitur niſi deſperatione, quia hæc ſola ſpei opponitur: ergo neque fides niſi ſola infidelitate.

Attamen hæc fides eſt *informis;* quia a 83
charitate, virtutum omnium forma, ſejuncta & nullo modo meritoria eſt: relinquitur tamen in peccatore pro fundamento, ut accedente auxilio actuali ad juſtificationem ſaltem remote ſe diſponere poſſit. Eſtque hic habitus fidei informis, *ſupernaturalis*, & a fide formata ſpecie eſſentiali non diſtinctus ut expreſſe docet D. Thomas hic q. 4. a. 4. in corp. ita ut ex informi poſſit fieri formata fides & viciſſim ſalva ſubſtantia: eſtque fides *perfecta* in ratione *habitus*, non tamen in ratione *virtutis*, ut idem docet q. 6. a. 2. ad 1. quæ omnia apud authores, maxime Thomiſtas, legi poſſunt.

Prob. II. pars. Contra *Durandum* I. ex 84
ſcriptura, quæ dicit, hæreticos circa fidem naufragare, a fide excidere, nihil ſcire, id eſt veritatis revelatæ, nihil credere.

dere. Sed hi loquendi modi inſinuant; fidem penitus amitti, ſicuti naufragio amittuntur omnia. II. Concilium TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 15. docet, peccato infidelitatis ipſam fidem amitti. III. Si hæretici quoad aliquos articulos retinerent fidem, tunc ſimul eſſent membra Eccleſiæ, & non eſſent. Non ſunt membra; quia hæretici. Forent tamen membra, ſi aliquorum articulorum reſpectu fideles eſſent. IV. Ibi non poteſt dari habitus fidei, ubi non datur motivum *formale*, & ultima fidei reſolutio: ſed in hæretico, negante vel unum articulum, non datur motivum formale, nec ultima reſolutio. *ergo &c. min.* prob. motivum *formale* eſt authoritas Dei revelantis, quatenus de revelatione per Eccleſiam evidenter conſtat. ſed hæretico, qui Eccleſiam Catholicam negat, non poteſt infallibiliter conſtare de facta Dei revelatione. ergo non poteſt habere motivum formale & ultimam fidei reſolutionem. Nam præter Eccleſiam non datur infallibilis regula cognoſcendi, hoc vel illud Deum revelaſſe, ut ſupra probatum eſt. V. Si quis ante fidem infuſam nollet credere omnes articulos, huic fides nunquam infunderetur: ergo ſi quis poſt infuſam ita eſt diſpoſitus, totum habitum amittit.

85 OBJIC. contra II. reſolut. part. 1. SS. PP. ſæpe docent, fidem non poſſe eſſe ſine

charitate: ſed in peccatore non eſt charitas. ergo neque fides.

Resp. SS. PP. plerumque loqui de fide *viva*, per charitatem formata, qualis utique in peccatore non datur.

Objic. contra II. part. Hæreticus negans unum articulum fidei, adhuc habet facilitatem & promtitudinem aſſentiendi aliis, v. g. myſterio Trinitatis & incarnationis &c. & quidem ex motivo Divinæ authoritatis. ergo. Sed iſta promtitudo, & motivum formale ſunt ſigna habitus fidei infuſæ, & ſupernaturalis. *ergo &c.* 86

Resp. *Diſt.* hæreticus habet facilitatem credendi *naturaliter*, per actus frequentatos *acquiſitam*, & ex motivo naturali. *conc.* habet *ſupernaturalem* & *infuſam* ex motivo ſupernaturali Divinæ authoritatis. *nego.* Etiamſi hæreticus aſſerat, ſe credere Trinitatem, quia Deus verax revelavit: de ipſa tamen revelatione non habet certitudinem fidei; quoniam Eccleſiam veram, per quam unice iſta certitudo haberi poteſt, negat: conſequenter ultima ejusmodi aſſenſus ab hæretico præſtiti reſolutio in humanum ratiocinium, vel probabilitatem aliquam fieri dignoſcitur.

Objic. III. Manet in hæretico theologia, 87
etiamſi concluſio deducatur ſaltem ex una

 præmiſſa

præmiſſa revelata. ergo etiam fides. *Ant. Prob.* theologia juxta multos authores non eſt habitus *ſupernaturalis*, ſed *naturalis* & acquiſitus: ſed per lapſum in hæreſin non amittuntur habitus ſcientifici naturales; cum nequidem Dæmones ea, quæ naturalia erant, perdiderint. Et patet ab inductione aliorum habituum jurisprudentiæ, Philoſophiæ, Matheſeos. *ergo.*

Resp. nego *ant.* ad prob. *diſt. maj.* eſt habitus entitative *naturalis*, ita tamen, ut innitatur principiis *revelatis*, cum ſaltem una præmiſſarum revelata eſſe debeat. *conc.* ſecus neg. maj. ut concluſio ſit theologica, debet præmiſſa revelata *credi;* hæreticus autem non *credit;* quia caret motivo *formali.* Et hinc facilis datur ratio, cur alios retineat actus ſcientificos, quia nituntur principiis pure naturalibus.

88 Resolutio III. Fides non manet in Dæmonibus aut damnatis, manet tamen in animabus purgantibus, ſicut & eam quondam habuerunt Patres in limbo.

Prob. I. pars. de dæmonibus & damnatis. Ad fidem præter aſſenſum in intellectu requiritur pia affectio in voluntate: ſed in Dæmonibus & damnatis, utpote in malo obſtinatis, non datur talis pia affectio. *ergo.* II. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum: ſed dæmones nihil ſperare

rare poſſunt, ergo nec credere. III. Damnati non credunt propter divinam authoritatem, ſed evidentia potentiæ & miraculorum convicti; ſicut THOMAS Apoſtolus non credidit, quia voluit miraculo convinci: *niſi videro, non credam.* IV. Per fidem fit aliquis membrum Chriſti & Eccleſiæ, quod damnatis repugnat. V. Fides in damnatis eſſet otioſa, & ſuperflua; ideo enim in peccatoribus remanet, ut tanquam membra mortua ſe poſſint ad juſtificationem remote ſaltem diſponere & viva Chriſti membra effici: hoc autem effectu careret in damnatis in inferno, ex quo nulla redemptio. ergo nulla ratio eſt ponendi fidem in damnatis.

PROB. II. pars. In animabus purgantibus 89
manet ſpes: ergo etiam fides, ſpei fundamentum. II. Retinent charitatem, quæ ſine fide nequit conſiſtere. III. Sunt membra Chriſti & Eccleſiæ purgantis, & quidem viva. *ergo.* IV. Triplici ex capite poteſt quis fide carere, ut ſupra dictum eſt. 1. Propter ignorantiam & defectum revelationis. 2. Propter pertinaciam. 3. Propter viæ conſummationem & claram viſionem. Nihil horum locum habet in animabus purgatorii. Non *primum*; quia cum ſperent beatitudinem in viſione intuitiva Dei repoſitam, revelationem habeant neceſſe eſt de Deo &c. Non *alterum*; quia ejusmodi pertinax diſſenſus in anima

justa locum habere non potest. Non *tertium;* quia adhuc vere non sunt in termino sed ad patriam suspirant. ergo retinent fidem.

90 Objic. contra part. I. Jacobus cap. 2. ait: *Dæmones credunt, & contremiscunt. ergo.*

Resp. *Dist.* credunt fide naturali rerum veritate, evidentia, potentia miraculorum convicti. *conc.* fide supernaturali, captivantes intellectum in obsequium fidei, & pia voluntatis affectione moti. *neg.*

91 Objic. II Fides amittitur solo peccato infidelitatis. ergo in Christiano damnato, qui in fide decessit, ea remanet.

Resp. *Dist.* fides amittitur solo peccato infidelitatis, hic in via. *conc.* tunc in altera vita. *neg.* tunc enim ab aliquibus amittitur propter statum, a beatis quidem propter incompossibilitatem obscuritatis cum clara visione: a damnatis vero; quia cum eorum obstinata malitia nequit componi pia in voluntate affectio ad fidem infusam necessaria.

92 Objic. III. Si Christianus damnatus amitteret fidem infusam, non distingueretur in inferno ab altero damnato infideli: hoc videtur absurdum. *ergo.*

Resp. Nego *ant.* Diſtinguerentur enim Chriſtiani per characterem baptismi, ſicut clerici a laicis per characterem ordinis. Dein etiam diſtinguuntur inæqualitate meritorum & ſuppliciorum.

Objic. IV. Chriſtianus damnatus easdem cognoſcit veritates ſupernaturales, quas cognoverat in via: eas autem agnovit fide infuſa. ergo & nunc in inferno eas ſic agnoſcit. 93

Resp. *Diſt.* agnoſcunt easdem veritates ex eodem motivo formali & ſupernaturali. *neg.* ex motivo mere naturali ſicut hæretici. *conc.*

Objic. V. Manent in damnatis characteres baptismi, ordinis. ergo & fides. 94

Resp. Nego *Conſ.* diſparitas eſt, quia character non eſt virtus neque quoad eſſentiam neque quoad ſtatum, & manet quoque in hæreticis & beatis, ubi fides exulat; habet enim ſe character per modum relationis indelebilis: econtra fides eſt virtus, de ſe inclinans ad actus bonos, quod repugnat damnatis: eſt etiam habitus, qui eſt amiſſibilis, ut conſtat experientia.

✠ ✠

§. II.

De vitiis fidei oppositis.

95 Fidei opponitur *infidelitas*, quæ duplex est, *negativa*, & *privativa*: *illa* est ignorantia fidei defectu instructionis vel mediatæ vel immediatæ, ex qua sola Fides haberi potest. *Hæc* est voluntaria & pertinax repugnantia, seu dissensus veritatibus revelatis præstitus. Hic breviter inquiritur, an infidelitas tam negativa, quam privativa sit peccatum & quot sint infidelitatis species. Pertractant hic quoque non nulli theologi, an omnia infidelium opera sint peccata: quod in Prælect. de gratia actuali jam præoccupatum est.

RESOLUTIO I. Infidelitas *privativa*, non
96 vero *negativa*, peccatum est.

PROB. I. pars ex sententia Judicis, quæ contra infideles privative tales jam lata est. Nam Christus Marc. ult. ait: *qui non crediderit, condemnabitur*, ubi loquitur de iis, qui audita Evangelii prædicatione credere detrectant. Item Joan. III. 18. *qui non credit, jam judicatus est*. Item Joan. XV. 22. ubi de non credentibus dicitur: *nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Ratio est. Qui pertinaciter detrectat se subjicere præceptis ad se spectantibus, nec vult uti mediis ad salutem necessariis, gravissime peccat,

peccat, quia ſe a Deo ſponte & per contemptum avertit: hoc autem facit infidelis privative talis, ut ad oculum patet, & a nemine negari poteſt. *ergo.*

Prob. II. pars. Chriſtus Joannis XV. 22. 97
clare ait: *ſi non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent.* Id eſt infidelitatis, ut Augustinus explicat. Ratio eſt, quia qui credere non poteſt, & quidem ſine omni ſua culpa, non credendo non peccat; quia nemo peccat in eo, quod nullo modo vitare poteſt juxta Augustini principium: ſed infidelis *negative* talis non poteſt credere, & quidem ſine ſua culpa; fides enim non poteſt haberi, niſi ex auditu: ut ratiocinatur Paulus Rom. X. *quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient ſine prædicante?* jam vero aliquibus non prædicatur Evangelium. *ergo.* unde damnata eſt iſta propoſitio 68. Baii. *Infidelitas pure negativæ in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* a qua non multum abludit altera ab Alexandro VIII. an. 1690. ordine 7. proſcripta: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato.*

An vero ex his propoſitionibus deduci 98
poſſit, reipſa dari aliquos infideles, pure negative tales, non adeo certum eſt. Videntur

dentur enim propositiones citatæ solum *conditionatæ* esse, ut hunc faciant sensum: infidelitas negativa & ignorantia juris naturalis, *si quæ datur*; peccatum est. Atque adeo in hoc solum sensu erunt damnatæ. Me quod attinet, admittere nequeo actu dari ejusmodi negative infideles; nam Deus omni homini, dum urget obligatio præcepti, confert gratiam supernaturalem saltem sufficientem ad fidem & justificationem. His gratiis, si homo utatur, & faciat, quod est in se, Deus dabit ulteriorem, per quam ad fidem explicitam necessitate medii necessariam, & ad ipsam justificationem devenire possit. Si prioribus gratiis non utatur, ipse in causa est, quod ulteriores denegentur, & fide justificante careat, sicque infidelitas ipsius non jam *negativa*, sed *privativa* est: eo modo quo dixi, non dari infidelitatem negativam in primo instanti usus rationis, quo puer se tenetur ad Deum ex toto corde convertere, conversione justificativa. Cum ergo etiam adulti non solum in articulo mortis, sed & aliquoties in vita, maxime dum practice de ultimo fine & sua salute cogitant, ut cogitare tenentur: ad ejusmodi conversionem, & dilectionem Dei super omnia, justificativam, quæ sine fide explicita aliquorum mysteriorum obtineri nequit, obligentur, non video, quomodo eorum infidelitas sine culpa esse queat, qui enim ad justificationem se dis-

ponere obligatur, a justo Deo accipere debet media ad eam absolute necessaria: sed fides *explicita* aliquorum mysteriorum necessitate medii necessaria est ex n. 54. ergo debent posse eam fidem habere. Sed qui habere potest & non habet, est *privative*, & non solum *negative* infidelis. *ergo*. id facile admitto, posse dari infidelitatem negativam quoad aliquos articulos solum, *necessitate præcepti* credendos, sine quibus invincibiliter ignoratis salus obtineri potest, &. eam infidelitatem non esse peccatum, per quod adhuc satis distingui me arbitror a propositione Baii damnata: multo vero magis per hoc; quia & ipse defendo, infidelitatem, *si tamen detur*, negativam, non fore peccatum.

Resolutio II. Infidelitatis species sunt tres, Paganismus, Judaismus & hæresis. *Communis*. 99

Prob. Triplici modo potest quis repugnare fidei. 1. Vel nunquam eam suscipiendo: qui dicitur *Paganismus*, quo cultus & notitia veri Dei abnegatur: & huc reducitur etiam *Atheismus*, qui omnem Deum abnegat. 2. Eam suscipiendo solum in figura & umbris, negando figuras fuisse adimpletas, & dicitur *Judaismus*, cui addicti, in Deum quidem credunt, & etiam in Christum seu Messiam, sed tantum ut *futurum*; negant

enim eum jam apparuisse, & propterea verum Messiam negant. 3. Repugnando fidei manifestatæ & legitime ab Ecclesia propositæ. Et est *hæresis*, quæ maxime in eo consistit, quod hæreticus quosdam manifestos articulos pertinaciter neget, & quos admittit, privato judicio credat, non vero, quia & prout ab Ecclesia vera proponuntur. Ad has tres species reducitur *Apostasia* a fide, seu recessus a fide semel suscepta: quæ quidem distinctam speciem non constituit, sed ad aliquam infidelitatis speciem reducitur pro ratione termini, ad quem quis a vera fide recedenda accedit. Si enim quis ad Paganos transeat, negando unitatem Dei, & adorando idola: hæc Apostasia erit *Paganismus*. & sic de Reliquis. Datur adhuc duplex alia apostasia, a Religione, non quidem Catholica, sed monastica, seu a statu Religioso, quem quis per solennia vota professus fuerat, & ab ordine sacro seu statu Clericali, de quibus, eorumque pœnis Theologi morales, & Canonistæ legi poterunt.

DE SPE THEOLOGICA.

CAPUT UNICUM.

§. I.

De natura Spei.

Fidem ſubſequitur Spes. Quid enim 100
ſperari poteſt, quod non creditur? ut ait AUGUSTINUS in enchirid. cap. 3. Eſt autem varia ejusdem acceptio. Quandoque ſumitur pro *exſpectatione* futuri eventus, ſive boni ſive mali, quem potius timemus: quo ſenſu *Cicero* ad Atticum l. I. vocat *ſpem malorum*, & VIRGILIUS L. IV. æneid. *hunc ego ſi potui tantum* SPERARE *dolorem*. Sed & ſcriptura Judith XIII. *Sperabant, eum jam non eſſe venturum*: id eſt, *timebant*. Proprie autem ut idem AUGUSTINUS l. cit. ait: „ ſpes „ non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi „ futurarum, & ad eum pertinentium, „ qui eam ſpem gerere perhibetur. Quæ „ cum ita ſint, propter has cauſas diſtin„ guenda erit fides a ſpe, ſicut vocabulo, „ ita & rationabili differentia. „ De hac igitur ſpe, qua non tantum bona, ſed ipſa beatitudo æterna ſperatur, indagandum: quomodo apte definiatur, an ſit virtus theologica, a fide & charitate diſtincta. Et quidem, quod ſpei definitionem

nem attinet, non ſolum in ea non conveniunt authores, ſed ab aliquibus penitus omittitur. Non nulli eam definiunt, quod ſit virtus theologica divinitus infuſa, qua efficaciter concupiſcimus & deſideramus beatitudinem ſupernaturalem adhuc abſentem, cum fiducia divinis promiſſionibus innixa eam aſſequendi. Alii aliter. QUESNELLUS ſpem a charitate indiſtinctam putat, propoſit. 57. damnata hujus tenoris: *totum deeſt peccatori, quando ei deeſt ſpes: & non eſt ſpes, ubi non eſt amor Dei.* Inſignis quidam theologus etiam pro QUESNELLI ſententia citat BBJUM prop. 38. quæ non videtur hunc ſenſum habere. Jam ſtatuitur

101 RESOLUTIO. Spes eſt virtus theologica, qua ſecura cum fiducia promiſſam æternam beatitudinem, & media ad eam conſequendam perDivinum auxilium exſpectamus.

Explicatur & probatur definitio; eſt *virtus;* quia virtus eſt, quæ bonum facit habentem ſe, & opus ejus bonum facit. Sed ſpes facit bonum habentem; quia *beatus vir, qui ſperat in eo.* Pſal. 33. & actus noſtros facit attingere ipſum Deum, Eſt virtus *theologica*, ut docet TRIDENTINUM Seſſ. VI. cap. 7. & quidem una cum fide & charitate infuſa, quia habet pro objecto immediato & proprio ipſum Deum. Eſt inſuper virtus a fide & charitate *diſtincta.* Et quidem eam diſtingui a fide contra

contra Novatores probatum eſt de juſtificatione; quoniam fides conſiſtit in *aſſenſu*, qui eſt actus intellectus: cum econtra ſpes ad voluntatem pertineat. II. Probatur etiam ex eo; quia ſpes habet diverſum objectum ſeu motivum formale; non enim ſperamus, quia Deus eſt *verax*, ſed vel quia bonus, vel quia *fidelis*, *omnipotens &c.* quod vero diſtincta ſit a charitate, probatur contra Quesnellum. Nam Paulus I. Cor. XIII. 13. *fides*, *ſpes & charitas*, *tria hæc*: *major autem horum eſt charitas.* ergo ſi charitas major eſt ſpe, ab ea diſtinguitur, quia nihil eſt ſe ipſo majus. III. Patet etiam ex eo, quia realis ſeparabilitas eſt evidens ſignum diſtinctionis realis: ſed fides & ſpes realiter ſeperantur a charitate in peccatore. ergo &c. IV. Spes habet motivum formale diſtinctum a motivo charitatis, ut patebit ex §. ſeq.

Dicitur ulterius: *qua ſecura cum fidu-* 102
cia promiſſa beatitudo exſpectatur. Nam & S. ſcriptura & SS. PP. & Principes theologorum ſpem dicunt non quoddam *deſiderium*, vel *concupiſcentiam*, ſed ſecuram & certam *exſpectationem* promiſſæ beatitudinis. Sic Rom. VIII. 19. *Exſpectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exſpectat* . . . *& ipſi intra nos gemimus* . . . *exſpectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus. Spes autem*, *quæ videtur non eſt ſpes*: *Nam quod videt quis*, *quid ſperat?*

rat?

rat. ſi autem, quod non videmus, ſperamus, per patientiam exſpectamus. Ita poſt Magiſtrum ſententiarum S. THOMAS qui in 3. ſent. d. 26. q. 2. art. 2. in corp. „ in ſecunda definitione ſpei, quam Magiſter „ ponit, quod ſit certa exſpectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia „ & præcedentibus meritis, exponitur tota ratio ſpei, ſecundum quod eſt virtus theologica. „ Ita etiam CLEMENS Alexandrinus & HAYMO apud D. BONAVENTURAM. Quod vero ſpes non ſit concupiſcentia, ſeu deſiderium, conſequenter per illud definiri non debeat *prob.* ex D. THOMA qui quæſt. IV. de virtut. art. I. ait: „ In objecto ſpei quatuor deſiderantur, „ primo quidem, quod ſit bonum, per „ quod ſpes differt a Timore: 2. quod „ ſit boni futuri, per quod differt a gaudio 3. quod ſit boni ardui, per quod „ differt a deſiderio. 4. Quod ſit boni „ poſſibilis, per quod differt a deſperatione. „ ergo deſiderium non eſt actus ſpei, multo minus ipſa ſpes: id quod pluribus eo loco S. Thomas tradit.

103 Reliqua verba denotat objectum materiale primarium, quod eſt Deus, ut noſtra beatitudo: & ſecundarium, ſcilicet media ad beatitudinem æternam aſſequendam a Deo ordinata. Promiſſio & auxilium, motivum *formale* conſtituunt, ut patebit §. ſeq. quomodo vero ſpes dicatur

tur *ſecura* aut *certa fiducia*, notandum, eam dici *certam* reſpectu Dei promittentis & auxiliantis, non vero reſpectu hominis; certum quippe eſt, Deum beatitudinem nobis promiſiſſe, quod fide credimus: certum eſt, eum eſſe in promiſſis ſervandis fidelem; certum eſt eum beatitudinem poſſe conferre per certa media, cum ſit omnipotens, & ideo ait TRIDENTINUM Concilium Seſſ. VI. cap. 13. *in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debent.* Ita quoque PAULUS II. Tim. I. 12. ſcio cui credidi, ut certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare: at vero *incerta* eſt reſpectu noſtri, ut probavi contra Calvinianos de juſtificatione; quia promiſſiones Dei ſunt conditionatæ, ſi nimirum faciamus quod oportet: de hoc ipſo autem, an ea remedia ad conſequendam beatitudinem adhibuerimus, quæ debebamus, certi ſine revelatione eſſe non poſſumus, atque ideo cum timore & tremore ſalutem noſtram operamur, cum timore tamen filiali, quo cavemus, ne quid committamus, quod nos a Deo ſeparáre queat.

§. II.

De objecto & motivo Spei.

Quatuor conditiones in objecto ſpei materiali D. THOMAS ſupra cit. exigit, 104
primo ut ſit BONUM; malum enim potius timetur, & non cum ſecuritate, ſed anxietate

xietate & trepide exſpectatur. 2. Ut bonum illud non ſit præſens, de quo poſſeſſo gaudemus, ſed *abſens*; quia exſpectatur. 3. Ut ſit bonum *arduum*: ſi enim facile & in noſtra poteſtate ſit, non ſperatur, ſed deſideratur. e. g. Dives & pauper eſurit: uterque deſiderat, ſed non uterque ſperat cibos. Dives enim cum penum inſtructam habeat, cibos ſibi apponi deſiderat, pauper econtra inſuper in miſericordia divitis ſperat, licet ſæpe confundatur. 4. Ut bonum illud ſit *poſſibile*; ſi enim impoſſibile judicatur, non jam ſpem, ſed deſperationem ejus obtinendi fundat.

105 Igitur objectum bonum ſit oportet, & quidem non aliud, quam ipſe Deus; cum enim ſpes ſit virtus theologica, pro objecto proprio & immediato ipſum Deum conſiderat. Facile in eo omnes conveniunt, beatitudinem æternam, primarium eſſe ſpei noſtræ objectum, ſcilicet ipſum Deum beatificum fruitive poſſidendum. Sed cum beatitudo alia ſit *objectiva*, alia formalis; alii illam, alii hanc pro objecto ſpei conſtituunt. Eſt autem beatitudo objectiva ipſe Deus vel jam fruitive poſſeſſus, vel quem per actus noſtros conſequi, eoque frui confidimus: ubi Deus importatur in recto, conſecutio vero in obliquo. Beatitudo formalis eſt ipſe actus, quo Deum conſequimur: ubi

ubi fruitio, ſeu conſecutio importatur in recto, Deus autem in obliquo. Magis adhuc inter ſe diviſi ſunt theologi circa objectum *formale* ſpei. Alii enim pro motivo, in quod reſolvitur ſpes, ſtatuunt *arduitatem* objecti, alii *bonitatem* Dei reſpectivam, ſeu, quatenus Deus nobis bonus eſt. Thomiſtæ communiter in Dei *omnipotentia*: alii in *fidelitate* ſeu miſericordia Dei. Non nulli plures perfectiones Divinas conjungunt, & ex iis unicum motivum formale conficiunt. His obſervatis ſtatuitur

RESOLUTIO I. Objectum materiale prima- 106
rium ſpei eſt ſola beatitudo objectiva, connotans viſionem intuitivam ſeu beatitudinem formalem in obliquo. Secundarius vero ſunt bona & media ad eam conſequendam apta & neceſſaria. *Eſt communior thomiſtarum.*

PROB. I. Pars, beatitudinem objectivam, ſeu ipſumet Deum, eſſe objectum primarium, & quidem *ſolum*: non vero beatitudinem *formalem*. I. Chriſtus Matth. VI. 33. monet: *quærite* PRIMUM *regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* Primarium itaque, quod ſperare debemus, eſt regnum Dei: ſed regnum Dei eſt ipſa beatitudo objectiva; *hæc eſt enim vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Joan. XVII 3.

107 II. Spes eſt virtus theologica: ergo debet pro objecto immediato & primario habere Deum ipſum, & non aliquod creatum, quale apud Thomiſtas eſt viſio, ſeu lumen gloriæ: ergo Deus ut noſtra beatitudo eſt objectum primarium.

108 III. Ad rationem virtutis theologicæ non ſufficit, ut Deus ſit objectum ſolum *mediatum*; ſecus religio, quæ habet pro objecto immediato honeſtatem cultus, & pro mediato Deum, foret virtus theologica. Idem dicendum de timore Dei. Sed ſi beatitudo *formalis*, ſeu conſecutio, eſſet objectum immediatum, tunc Deus eſſet ſolum objectum *mediatum*, illud enim immediate attingitur, quod importatur in recto: ſed in beatitudine formali conſecutio importatur in recto, Deus autem in obliquo. *ergo &c.*

109 IV. Beatitudo objectiva, ut ultimus finis ſeu ſummum noſtrum bonum a nobis conſequibile, eſt objectum alicujus virtutis: ſed non alterius, quam ſpei. *ergo &c.*

110 V. Spes in via, & ipſa fruitiva poſſeſſio, habent idem objectum, & ſolum diſtinguuntur tanquam via & terminus: ſed objectum fruitivæ poſſeſſionis in Patria eſt beatitudo objectiva. ergo etiam ſpei in via.

PROB. II.

Prob. II. pars, quod sola beatitudo objectiva sit objectum primarium, non vero aliquod aggregatum ex formali & objectiva. Objectum immediatum & primarium virtutis theologicæ debet esse quid increatum, nec aliud nisi ipse Deus: sed si beatitudo formalis ingrederetur in recto, objectum immediatum, tunc illud non esset adæquate ipse Deus, sed etiam aliquod creatum, nempe visio seu lumen gloriæ. ergo. *maj.* patet ab instantia fidei & charitatis. Quod vero beatitudo formalis debeat connotari, per se patet; quia spes tendit in summum nostrum bonum, nempe Deum ut aliquando fruitive possidendum: sed non possidetur, nisi per visionem intuitivam, quæ est ejus consecutio: ergo ipsa possessio seu consecutio connotatur & tanquam conditio importatur. 111

Prob. etiam III. pars, quod bona creata, quatenus sunt media ad consequendam beatitudinem, sint objectum secundarium. Sicut enim objectum fidei *primarium* est Deus, ut prima *veritas*; ita *secundarium* sunt veritates omnes revelatæ ad Deum ordinatæ: & sicut objectum primarium charitatis est Deus, ita secundarium est proximus, ut est aliquod Dei. ergo idem de spe: ita discurrit D. Thomas 2. 2. q. 17. art. 2. ad 2. „ quæcunque „ alia bona non debemus a Deo petere, „ nisi in ordine ad beatitudinem æternam. 112

 „ Unde

„ Unde & ſpes principaliter quidem re„ ſpicit beatitudinem æternam, alia vero, „ quæ petuntur a Deo reſpicit ſecunda„ rio in ordine ad beatitudinem æternam, „ ſicut eſt fides &c. „

113 Ratio eſt, quia intentio non ſolum reſpicit finem, ſed etiam media ad conſequendum finem apta & neceſſaria: ſed ſpes eſt intentio reſpiciens finem ultimum fruitive poſſidendum: ergo etiam reſpicit media &c. per quæ beatitudo obtineri poteſt: ut ſunt bona gratiæ & naturæ, prout ea a Deo ad noſtram beatitudinem ordinata & decreta ſunt.

114 Objic. I. Idem eſt objectum materiale ſpei in via, quod eſt fruitionis, ſeu delectationis in patria: ſed hoc eſt non Deus, ſed ejus fruitio & viſio. *ergo &c.*

Resp. *neg. min.* objectum enim immediatum eſt ipſe Deus viſus, qui per viſionem attingitur; viſio enim proponit directe Deum ut ſummum bonum delectabile, non vero ſe ipſam, niſi indirecte & reflexe.

115 Objic. II. Deus ut poſſidendus eſt objectum ſpei: ſed non poteſt poſſideri niſi per viſionem beatificam. *ergo &c.*

Resp. *Diſt.* Deus ut poſſidendus eſt objectum ſpei, ita ut poſſeſſio, conſecutio

ſeu

ſeu viſio, ſit conditio & connotatum. *conc.* ut ſit objectum immediatum. *nego.*

Objic. III. Beatitudo objectiva & for- 116
malis ſimul faciunt unum finem totalem: ſed objectum ſpei eſt ultimus finis totalis fruitive poſſidendus. ergo objectum ſpei eſt beatitudo tam objectiva, quam formalis.

Resp. *Diſt. Maj.* Ita tamen ut beatitudo formalis ſeu vitalis viſio ad Deum ordinata non ſit objectum immediatum, ſed modus, conditio ſeu connotatum. *conc.* ſecus *neg.* eſt enim contra rationem virtutis theologicæ, reſpicere pro objecto primario & immediato aliquid, quod non ipſe Deus eſt.

Resolut. II. Objectum ſeu motivum *for-* 117
male ſpei neque eſt *arduitas*, neque *bonitas* objecti: nec *ſola omnipotentia*, ſed *fidelitas* Dei promittentis, conjuncta omnipotentiæ Dei revelantis.

Prob. I. pars de arduitate. Eſſe arduum, pertinet ad objectum *materiale* ſpei, & eſt conditio ad illud requiſita. ergo nequit eſſe motivum ſeu objectum *formale.* Ant. Prob. inprimis ex D. Thoma ſupra n. 102. qui ad objectum materiale ſpei exigit non ſolum, ut ſit bonum, ſed & ut ſit abſens, futurum, arduum,

 poſſibi-

poſſibile. Sicut ergo abſentia non movet, ita neque arduitas.

118 Prob. II. Illud non eſt motivum formale, in quod actus ſpei non reſolvitur: ſed in arduitatem non reſolvitur. *ergo*: *min. prob.* ſi quis enim interroganti, quare ſperas beatitudinem? reſponderet, quia ardua eſt: næ ille rideretur ab omnibus; cum arduitas objecti potius abſterreat, quam alliciat ad ſui exſpectationem & proſecutionem.

119 III. Quod eſt commune etiam deſperationi, non poteſt eſſe motivum formale ſpei, ut evidens eſt; quia actus contrarie oppoſiti non poſſunt habere eandem rationem *formalem ſub qua*: ſed eſſe arduum, eſt commune etiam deſperationi. *ergo. min. prob.* Ideo enim aliqui deſperant, ſe beatitudinem aſſecuturos, quia eam ut nimis arduam, tantasque & inſuperabiles difficultates in ea aſſequenda ſibi proponunt, ut propterea deſpondeant animum, & prorſus diffidant. Et quamvis adverſarii arduitatem forte non ſumant pro difficultate in obtinendo, ſed pro eminentia objecti & boni ſperati: attamen ne quidem ſub hac ratione poteſt eſſe motivum formale; quia etiam iſta eminentia ſe tenet ex parte objecti *materialis*, cui ſuperaddi debet ratio formalis. Non enim ideo ſperatur bonum, quia

quia eſt eminens : ſed quia bonum illud eminens, utpote promiſſum, ſe obtenturum confidit.

IV. Sicut fidei objectum eſt obſcurum, 120
ita ſpei eſt arduum; ſed obſcuritas fidei non conſtituit objectum formale fidei; ergo neque arduitas eſt motivum formale ſpei.

Prob. II. pars, motivum formale non eſſe 121
bonitatem Dei reſpectivam, ſeu quatenus nobis bonus eſt. Nam. I. Deus, ut nobis bonus, eſt objectum *materiale* ſpei: ergo bonitas Dei reſpectiva quoad nos nequit eſſe motivum formale : *conſeq.* eſt evidens. *Ant. Prob.* Deus ut noſtra beatitudo objectiva eſt objectum materiale : ſed Deus ut beatitudo noſtra eſt Deus ut nobis bonus, ſeu ſummum noſtrum bonum; beatitudo enim in ſummo bono conſiſtit. ergo Deus ut nobis bonus eſt objectum ſpei materiale.

II. Quod eſt motivum formale chari- 122
tatis, non poteſt eſſe motivum ſpei; ſecus ſpes non eſſet ſpecie diſtincta virtus a charitate : ſed bonitas Dei reſpectiva eſt motivum formale ſaltem inadæquatum charitatis. *ergo &c. min.* probabitur infra, de charitate, & admitti debet ab omnibus theologis, qui negant, amorem concupiſcentiæ eſſe actum ſpei.

123 III. Si amor concupiſcentiæ eſſet actus ſpei, tunc ſpes maneret in patria, quia ibi amor concupiſcentiæ manet, & *charitas nunquam excidit*: ſed ſpes non manet in patria: ut certum eſt: ergo amor concupiſcentiæ non eſt actus ſpei.

124 IV. In bonitatem Dei reſpectivam ultimo non reſolvitur actus ſpei. ergo non eſt motivum formale. *Conſequentia* certa eſt. *Ant. Prob.* interrogatus, quare amet, aut deſideret beatitudinem? optime reſpondet, quia eſt ſummum meum bonum & mihi commodum. Sed interrogatus ulterius, quare ſperet, quod eam ſit aſſecuturus? male reſponderet, quia eſt meum maximum bonum; eſſet enim propoſitio identica, cum beatitudo, & ſummum noſtrum bonum, ſint ſynonyma. Beatitudo enim ex definitione Boetii eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Sicut ergo identice reſponderet, qui diceret: ſpero ſummum meum bonum, quia eſt ſummum meum bonum: ita etiam idem dicit, qui reſpondet: ſpero beatitudinem, quia eſt ſummum meum bonum. Optime vero reſpondebit: ideo ſpero Deum ut ſummum meum bonum intuitive videre, & fruitive poſſidere, quia promiſit fideliſſimus & adjuvat omnipotentiſſimus.

125 Prob. III. & IV. pars, motivum formale non eſſe *ſolam* omnipotentiam Dei auxilian-

xiliantis, ſed etiam fidelitatem Dei promittentis. I. S. ſcriptura de motivo ſpei loquens, non *ſolam* allegat Dei potentiam, ſed & ejus *fidelitatem* in ſervandis promiſſis. ergo ſola omnipotentia, ſeu auxilium Dei adjuvantis ad conſequendam beatitudinem, non eſt motivum formale, quamvis eo concurrat, vel præſupponatur. *Ant. Prob.* Hebr. X. 23. *teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, fidelis enim eſt, qui repromiſit.* vid. ibidem XI. 11. 1. Cor. I. 9. *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus D. N. J. C.* ibid. X. 13. *fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Idem PAULUS deſcribens ſpem firmiſſimam Abrahæ, promiſſionem & potentiam ſeu fidelitatem Dei, & auxilium pro motivo allegare videtur. Nam Rom. IV. 18. *qui contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret Pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum, & non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum jam fere centum eſſet annorum, & emortuam vulvam ſaræ: in* REPROMISSIONE *autem Dei non hæſit* DIFFIDENTIA, *ſed confortatus eſt* FIDE, *dans gloriam Deo; pleniſſime ſciens; quia quæcunque* PROMISIT *potens eſt & facere &c.* & ad Hebr. VI. 11. hortatur ad ſimilem ſpem & patientiam ei ſemper conjunctam, quam habuit Abraham. *Cupimus autem,*

 ait;

ait, *unumquemque veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem, ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones. Abrahæ namque promittens Deus . . . In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem Conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt* MENTIRI *Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, procedentem uſque ad interiora velaminis.* Ex quo textu clare elucet, *fidelitatem* Dei eſſe præcipuum formale motivum ſpei; juramentum enim ideo interponitur, ut de *fidelitate* promittentis nulla remaneat dubitatio. Non enim quis jurat, ut credam, eum *poſſe*, ſed ut confidam eum *velle fideliter* ſervare promiſſum. & ad Tit. 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.* Ubi non tam *Veracitas*, quam *fidelitas* in ſervandis promiſſis Divinis commendatur.

126 PROB. II. ratione. In ſolam omnipotentiam Dei auxiliantis ultimo non reſolvitur actus ſpei. ergo non eſt motivum formale adæquatum. *Ant. Prob.* ab exemplo, motivum ultimatum aliquid ſperandi ab homine, non eſt potentia exequendi, ſed etiam voluntas ſeu fidelitas; nam ſi quis-

quispiam ſperet pinguem hæreditatem ab altero, tunc interrogatus: cur ſperet, male reſponderet: quia poteſt eam mihi conferre: ſed primo moveri debet, quia promiſit. Nam ſine promiſſione non eſt ſpes, ſed præſumtio & vana ſui ipſius deluſio. Percontanti ulterius, quare fidat promittenti? non ſufficit reſpondere, quia promittens potens eſt & reddere: nam etſi ſciat eum poſſe, niſi tamen confidat eum velle, nondum firmiter ſperare poteſt. ergo ultimato reſpondere debet, ſpero hæreditatem promiſſam, quia non ſolum poteſt, ſed etiam vult ſervare promiſſum, qui promiſit, atque ita ultimato reſolutio fit in fidelitatem promittentis, conjunctam potentiæ, quam quodammodo præſupponit. Ita contingit in ſpe beatitudinis. Fides, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, me certum reddit, quod Deus promiſerit æternam beatitudinem. Itaque motivum primum & remotum ſpei meæ eſt divina promiſſio; ſpero enim, quia Deus promiſit: ſicut credo, quia Deus revelavit: ſed datur adhuc ulterior reſolutio. Quare enim fido promittenti & ſpero promiſſam beatitudinem, niſi, quia Deus omnipotens promiſſionem ſuam ſervare & exequi poteſt, concedendo auxilia, quibus omnia in adipiſcenda beatitudine impedimenta ſuperari poſſunt. Sed in Divina potentia nondum quieſcit ſpes; parum enim me juvaret,

si sciam, Deum posse, nisi certus forem eum etiam velle, non enim omnis ille, qui potest, simul etiam vult fideliter servare promissum. Itaque ratio ultimata sperandi beatitudinem est, quia Deus non solum est potens, sed etiam fidelissimus in servandis promissis.

127 Prob. III. Spes debet non solum esse *certa*, sed etiam *secura*: sed utcunque sit certa ex parte Dei ratione potentiæ adjuvantis, non est secura, nisi per fidelitatem promittentis; quia utcunque certus sim, Deum me posse facere beatum, non tamen sum securus, nisi confidam, eum fideli sua promissione me velle beatum efficere. ergo *unicum* motivum formale non est Dei auxiliantis *omnipotentia*, sed etiam & maxime FIDELITAS Dei promittentis. Verbo prima ratio beatitudinem sperandi est Dei *promissio*; quoniam sine hac non habemus ullam prætensionem. Ratio ulterior fidendi promittenti, est ejus *potentia* exequendi: ultima denique est *fidelitas* Dei exequi volentis: quæ duæ tamen conjunctæ esse debent; quia nec potentia auxiliantis sine fidelitate juvare volentis, nec hæc sine illa sperantem securum redderet.

128 Objic. I. De ratione spei est, ut objectum sit arduum. ergo arduitas est ratio formalis sub qua attingendi objectum.

Resp.

Resp. Retorq. de ratione ſpei eſt, ut objectum ſit abſens: ergo abſentia eſt motivum formale. Abſurdum! itaque *Diſt.* de ratione ſpei eſt, ut objectum *materiale* ſit arduum. *Conc.* ut motivum *formale* ſit arduitas. *Neg.* Nam in arduitatem non reſolvitur actus ſpei.

Objic. II. Idem eſt motivum formale ſpei 129
quod eſt deſiderii efficacis; quia ſpes nihil eſt aliud quam deſiderium efficax. Sed motivum deſiderii eſt ſola bonitas objecti. ergo & ſpei.

Resp. *Neg. Maj.* quia ſpes eſt actus diſtinctus a deſiderio vel amore, ut probatum eſt.

Objic. III. Actus voluntatis non poteſt 130
fieri in objectum, niſi ſub ratione *boni*, ſed ſpes eſt actus voluntatis: ergo in Deum tanquam ſuum objectum fertur ſub ratione ſummi noſtri boni; conſequenter *bonitas* eſt motivum formale: quod confirmatur ex D. Thoma hic q. 17. art. 4. in corp. „ ſpes duo reſpicit, ſcilicet bonum, quod „ obtinere intendit, & auxilium per quod „ illud bonum obtinetur, Bonum autem, „ quod aliquis ſperat obtinendum, habet „ rationem cauſæ finalis, auxilium autem „ per quod aliquis ſperat obtinere illud „ bonum, habet rationem cauſæ efficientis.„ ergo ex D. Thoma motivum formale eſt bonitas.

Resp.

Resp. *Dist. Maj.* actus voluntatis, *qua talis*, non potest tendere in objectum nisi sub ratione boni, *generica* & *implicita*. *Con. qui est talis*, non potest tendere in objectum nisi sub ratione boni *specifica* & *explicita*: nego: & sic dist. *min. neg. cons.* nihil potest voluntas prosecutive velle, nisi sit, vel appareat bonum, & fertur in objectum, quia est bonum. Non tamen semper explicite sub ratione talis boni; secus nullus daretur actus voluntatis, nisi amor, quia hujus motivum specificativum est bonitas. ergo idem motivum non potest esse spei: ad Textum D. Thomæ dico, eum nomine causæ finalis intelligere objectum *materiale* & terminum spei, nimirum beatitudinem æternam. Sic enim ait ibidem: „ spes respicit beatitudinem „ æternam, sicut finem ultimum, Divi- „ num autem auxilium sicut primam cau- „ sam inducentem ad beatitudinem. Sicut „ ergo non licet sperare aliquod bonum „ præter beatitudinem sicut ultimum „ finem &c. „

131 Objic. IV. Sola omnipotentia est motivum formale. ergo non fidelitas: *ant. prob.* e S. Thoma, qui multis in locis non aliud motivum spei assignat. Nam quæst. 4. de Virtut. Art. 4. in terminis ait: „ Spei, „ secundum quod est virtus Theologica, „ objectum formale est auxilium Divinum, „ cui inhæret.

Resp. Nego *ant.* ad textum D. Thomæ dico, illum nullibi aſſerere, quod *ſola* omnipotentia ſit motivum formale adæquatum & ultimatum, in quod fit ſpei reſolutio. Itaque non erit invitus S. D. ſi omnipotentiæ jungatur fidelitas Dei promittentis, in quam potentiæ auxiliantis junctam ultima fieri reſolutio videtur.

§. III.

De ſubjecto ſpei, præcepto, & vitiis oppoſitis.

Subjectum ſpei immediatum & proximum eſſe voluntatem, probat D. Thomas hic q. 18. a. 1. in corp. de ſubjecto vero remoto & mediato quæritur, an ſit in peccatore, animabus purgantibus, beatis, damnatis, an etiam fuerit in Chriſto.

Resolutio I. Spes manet in peccatore 132
fideli, non deſperante.

Prob. I. Tridentinum concilium Seſſ. VI. cap. 6. in peccatore pænitente requirit, ut ad miſericordiam Dei conſiderandam ſe convertendo in ſpem erigatur, fidens Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.

Prob. II. Ratione. ſpei non opponitur quodvis peccatum, ſed ſola deſperatio, ſicut infidelitas fidei. ergo in peccatore

fideli

fideli non desperante manet spes. Dixi tamen, *fideli;* quia fides est spei fundamentum, quo destructo etiam corruit spes.

III. Quia omnis peccator potest sperare beatitudinem, cum possit habere motivum formale, nimirum Divinam omnipotentiam & fidelitatem. *ergo.*

133 Resolutio II. Spes manet in animabus purgatorii, non tamen in Beatis. Prob. I. pars. quia exspectant beatitudinem adhuc absentem, retinent motivum formale; habent fidem, spei fundamentum; nullo actu contrario spem amiserunt in via. ergo retinent in altera vita, donec bono sperato fruantur. Ex inversa ratione non manet spes in Beatis; quia de ratione objecti est, ut sit absens seu futurum, quod spes exspectat: Beati vero summum bonum actu possident. *Spes autem, hoc est, res sperata, quæ videtur, non est spes,* ut ait D. Paulus. Carent fide theologica, quæ est fundamentum, quod autem Beati exspectent resurrectionem & gloriam corporis, non est actus spei proprie, sed desiderii, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 67. a. 4. ad 3. & ratio est, quam etiam allegat D. Thomas hic q. 18. a. 2. ad 4. „ quod „ cum spes sit virtus theologica habens „ Deum pro objecto, principale objectum „ spei est gloria animæ, quæ in fruitione „ Divina consistit, non autem gloria cor„ poris.

„ poris. Gloria autem corporis, etſi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non tamen habet rationem ardui habenti gloriam animæ: tum quia gloria corporis eſt minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ: tum etiam quia habens gloriam animæ, habet ſufficientem cauſam gloriæ corporis. „ Itaque deficit objectum ſpei theologicæ, & arduitas.

Resolutio III. Spes non manet in dam- 134
natis. Prob. I. Carent fide. II. Non poſſunt adprehendere beatitudinem ut poſſibilem. III. Sciunt, ſibi non eſſe promiſſam, ſed ad ignem æternum ſe eſſe damnatos ex ore Judicis audierunt. Sicut ergo, ut infra dicam, Viator, cui foret revelata æterna damnatio, non poſſet ſperare, ita neque damnati.

Resolutio IV. Spes in Chriſto non 135
fuit virtus theologica. Prob. ad virtutem enim theologicam requiritur abſentia boni ſperati, cum ſit exſpectatio: ſed beatitudo tanquam objectum ſpei non fuit in Christo abſens, eo quod a primo inſtanti conceptionis anima ejus gaviſa ſit intuitiva Dei viſione. Non tamen carebat Chriſtus omni ſpe; ſperabat enim gloriam corporis impaſſibilis, tanquam bonum aliquod abſens futurum & arduum, cum ſciverit, quod tanta ipſum oporteat pati,

& ita intrare in gloriam ſuam: per quod diſtinguitur a Beatis, quorum corporum gloria ipſis non videtur ardua obtentu, ut Reſolutione II. dictum eſt: audiatur D. THOMAS hic q. 18. a. 2. ad 1. „ dicen-
„ dum, quod Chriſtus etſi eſſet compre-
„ henſor, & per conſequens beatus quan-
„ tum ad Divinam fruitionem; erat tamen
„ ſimul Viator, quantum ad paſſibilitatem
„ naturæ, quam adhuc gerebat: & ideo
„ gloriam impaſſibilitatis & immortalitatis
„ ſperare potuit, non tamen ita, quod
„ haberet virtutem ſpei, quæ non reſpi-
„ cit, gloriam corporis ſicut principale
„ objectum, ſed potius fruitionem Divinam.„

136 RESOLUTIO V. Actus ſpei adultis neceſſarius eſt neceſſitate medii & præcepti, cum naturalis, tum divini.

PROB. I. pars. Eadem eſt neceſſitas ſpei, quæ fidei; cum hæc ſit fundamentum rerum ſperandarum. Fruſtra enim videtur quis credere Deum remuneratorem, niſi etiam confidat promiſſum ab eo præmium. Ideoque etiam S. ſcriptura & SS. PP. fidei plerumque ſpem jungunt: quorum textus videri poterunt apud authores, præcipue HABERTUM. PROB. Ratione. Illud eſt neceſſitate medii neceſſarium, ſine quo nec juſtificatio, nec ſalus æterna obtineri poteſt: ſed ſine actu ſpei adultus nec juſtificatiouem, nec æternam ſalutem

ſalutem obtinere poteſt, quia ſine ſpe ſe ad juſtificationem nequit diſponere, ex dictis de juſtificatione. *ergo.*

137 Prob. II. pars, quoad præceptum *naturale;* jure naturæ obligamur ad ea adhibenda media, ſine quibus finem noſtrum ultimum non poſſumus adipiſci, eo ipſo, quia naturale obligatione ad finem ultimum tendere obligamur: ſed ſine actu ſpei nequit obtineri finis ultimus. ergo. præceptum vero *Divinum* ſatis exprimitur in S. ſcriptura Pſal. LXI. 9. *ſperate in eo omnis congregatio populi.* Pſal. IV. *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ & ſperate in domino.* Et alibi paſſim. Ratio eſt. Divino præcepto tenemur orare: ſed orare, ſicut oportet, nemo poteſt ſine ſpe imprudenter enim & contra rationem petit quod non ſperat, quod petit.

138 Resolutio VI. Præceptum ſpei ſæpius obligat in vita.

Hoc patet ex propoſ. 5. ab Alexandro VII. 1665. damnata: *homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum ſpei, fidei & charitatis vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Obligat autem per ſe ex communi theologorum ſententia. I. In primo inſtanti morali uſus rationis: tunc enim homo ad Deum tanquam finem ultimum ſe convertere debet, & quidem converſione juſtificativa, quæ ſine ſpe ha-

beri nequit. II. In articulo mortis, ex pari ratione & praxi fidelium & pastorum. III. In gravi tentatione contra spem. IV. Dum urget præceptum pænitentiæ & Justificationis; quia ut ait S. AMBROSIUS l. 1. de pænit. c. 1. *nemo potest bene agere pænitentiam, nisi speraverit indulgentiam.* V. Quando urget necessitas orationis; quia ut JACOBUS I. 6. ait: postulare Christianus debet *in fide nihil hæsitans.* Ac demum in quovis actu religionis ex obligatione debito. vid. HABERT. de Virt. Religionis: & authores passim.

139 Quærunt hic scholastici, si homini fieret a Deo revelatio, de sua æterna damnatione, an ille adhuc posset & deberet sperare beatitudinem? qui tamen casus in moderna providentia videtur impossibilis. Sed

RESPONDEO dupliciter potest alicui fieri revelatio, de damnatione & reprobatione: vel per modum *Comminationis*, vel per modum certæ & mutabilis *prædictionis.* Si fiat primo modo, talis potest & debet sperare beatitudinem; quia adhuc possibilis est per divinam gratiam. Si fieret secundo modo, spes omnis evanesceret; quia non subsisteret motivum formale, & deficeret conditio in objecto materiali; debet enim hoc esse *possibile*: at vero beatitudo est impossibilis; si deus certo

præ-

prædixit, eam a nobis non eſſe obtinendam. Deeſt etiam motivum formale, quod eſt fidelitas dei promittentis, quæ negata promiſſione non ſubeſt. Ita S. THOMAS q. 23. de verit: a. 8. ad 2. „ quamvis de „ potentia abſoluta Deus poſſit revelare „ ſuam damnationem alicui, non tamen hoc „ poteſt fieri de potentia ordinaria; quia „ talis revelatio cogeret eum deſperare. „

Alia, & magis digna pertractatu quæ- 140
ſtio eſt, an detur in hac vita ſtatus tantæ perfectionis, & tantæ indifferentiæ, ubi homo nec timore pænarum, nec ſpe beatitudinis, ſed ex ſolo divino beneplacito & motivo charitatis pure benevolæ, ſeu, prorſus desintereſſatæ, ut loquuntur, operatur. Cui quæſtioni breviter ſatisfaciet

RESOLUTIO VII. Non datur ejusmodi ſta- 141
tus habitualis. Eſt ſententia ab INNOCENTIO XII. 1699. Contra illuſtriſſimum franciſcum Fenelonium Archiepiſcopum Cameracenſem definita.

Propoſitio damnata *prima* hæc eſt: „ Datur habitualis ſtatus amoris, qui eſt „ charitas pura & ſine ulla mixtione moti- „ vi proprii intereſſe. Neque timor pæ- „ narum, neque deſiderium remuneratio- „ num habent amplius in eo partem: non „ amatur amplius Deus propter meritum,

„ neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando „ inveniendam. II. In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris & „ spei. &c. „ Vide & sequentes. Hanc resolutionem ex S. scriptura & Patribus probat D. HABERT omnino videndus.

142 Ratio est. Nullus status perfectionis, quantacunque fuerit, eximit hominem ab observantia mandatorum Divinorum, a timore & tremore, ob incertitudinem salutis, a tentationibus, contra quas dimicare oportet toto tempore vitæ, quæ est perpetua militia: atqui hæc omnia fieri nequeunt sine actibus spei & amore concupiscentiæ. Debet enim homo orare, & quo perfectior fuerit, eo perfectius omnia mandata adimplere studebit.

143 RESOLUTIO VIII. Peccata spei opposita, & quidem ex genere suo mortalia, sunt desperatio & præsumptio.

DESPERATIO est diffidentia consequendi æternam beatitudinem, & ejus media ad eam necessaria. PRÆSUMPTIO vero est temeraria exspectatio beatitudinis & mediorum. *Temeraria* dicitur, seu vana, & fundamento carens, quod dupliciter contingere potest: I. Dum aliquis non a Dei fidelitate & omnipotentia, sed ex propriis viribus suam beatitudinem exspectat. II. Dum inordi-

inordinate confidit in Divinam misericordiam & omnipotentiam, exspectando ea, quæ Deus nunquam promisit, imo potius se negaturum comminatus est. Sic peccant illi, qui beatitudinem sperant, etsi media nulla adhibeant ad comparanda merita, quin & conversionem & pænitentiam in mortis articulum differunt. Quod vero desperatio & præsumptio sint peccata ex genere suo mortalia, probat D. THOMAS 2. 2. q. 20. a. 3. „ Cum enim Virtutes Theologicæ habeant Deum pro objecto, peccata eis opposita important directe & principaliter aversionem a Deo. In quolibet autem peccato mortali principalis ratio mali & gravitas est ex eo, quod avertit a Deo. „ Sed desperatio & præsumptio avertunt directe a Deo. *ergo.* Aliquando tamen per accidens ista peccata possunt esse venialia, vel propter levitatem materiæ, vel propter defectum sufficientis consensus; cum enim tentatio desperationis hominem maxime turbet, facile consensus imperfectionem importat, quæ omnia fusius exequitur D. HABERT præ aliis legendus.

PRÆLECTIONES
DE CHARITATE.

CAPUT UNICUM.

§. I.

De natura Charitatis.

144 CHARITAS, a græco χαρις, quod gratiam denotat, derivata, gratuitum seu liberalem amorem denotat, & variam acceptionem patitur. 1. Significat enim aliquando familiaritatem & amicitiam *naturalem*. 2. Amorem essentialem *increatum*; & sic *Deus*, seu tres in una notura personæ, *charitas est* I. Joan. IV. 16. 3. Amorem Divinum *personalen*, qui notionaliter est spiritus S. prout Ecclesia eundem in hymno invocat: *Fons vivus, ignis* CHARITAS &c. 4. *Effectus* charitatis, v. g. convivium inter amicos ex amore institutum, inter primos Christianos frequentissimum, αγαπη, Liebesmahl, dictum. Hoc autem loco proprie accipitur pro *virtute* Theologica, seu infuso in justificatione habitu supernaturali, quo Deus ut summum bonum super omnia diligitur. De hujus autem natura hic ea repetenda sunt, quæ Parte I. hujus Tomi dicta fuerunt.

Quoniam in rigore loquendo, nomine 145
charitatis intelligitur *habitualis* propensio ad bonum, quæ ordinarie ex actibus præcedentibus oritur, per *amorem* vero plerumque *actualis* inclinatio; hinc amor triplex distingui solet: 1. *amor concupiscentiæ* quo aliquid volumus ut nobis bonum. 2. *Amor benevolentiæ*, quo alterum diligimus, eique bonum volumus non nostri, sed ejus gratia. 3. *Amor amicitiæ*, quo volumus unionem cum altero, tanquam ei nobisque bonam. Quæ quidem divisio inferius dilucidabitur.

Amicitia definiri solet mutuus benevo- 146
lentiæ amor, in alicujus boni communicatione fundatus, quæ ratione objecti triplex est; amicitia *honesti*, *utilis*, & *delectabilis*. Amicitia *utilis* dicitur, quando amico bonum volumus, non sui, sed nostri gratia, ita ut amans se respiciat ut finem *cujus gratia*, & hæc vocatur *mercenaria*. Amicitia *delectabilis* est, dum amicus diligitur propter voluptatem, quam amans ex ejus communicatione capit: ut contingere solet inter Juvenes, quorum amor sæpe sensualis & carnalis est. Amicitia *honesti*, & proprie talis, quæ fundatur super communicatione & similitudine in bono virtutis, per quod amans vult amico bona ipsius gratia, etiamsi & sibi velit, tanquam *fini cui*. Ratione communicationis bonorum dividitur in *Na-*

turalem, *domesticam*, *civilem*, & *supernaturalem*, de qua sola sermo est. Ad veram porro & perfectam amicitiam requiruntur quinque. 1. Ut sit amor benevolentiæ. 2. Ut sit mutuus. 3. Ut fundetur super aliqua communicatione bonorum. 4. Ut inter amicos sit unio animorum. 5. Ut sit secretorum communicatio. His breviter suppositis statuitur

147 Resolutio. Charitas est vera supernaturalis amicitia inter Deum & hominem. *Ita D.* Thomas *& theologi communiter.*

Prob. I. Ex scriptura, quæ justos passim vocat *amicos* Dei. II. Ratione. omnes conditiones veræ amicitiæ superius recensitæ, in charitate hominis erga Deum & vicissim reperiuntur. Nam *primo* est amor *benevolentiæ*; quia diligitur Deus propter se, & omnia alia propter Deum. An vero sit pure benevolentiæ, deinceps dicetur. 2. Est amor *mutuus*: nam Deus *diligentes* se *diligit* Prov. VIII. 17. & Christus Joan. XIV. 21. *qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego* diligam eum. 3. Iste amor fundatur super communicatione bonorum, nempe æternæ beatitudinis, & naturæ divinæ participatæ, quæ jus ad beatitudinem importat. 4. Adest unio animorum; nam 1. Cor. VI. 17. dicitur: *qui autem adhæret Deo, unus spiritus*

ritus eſt. 5. Habetur ſecretorum communicatio; juſtus enim coram Deo cor ſuum effundit ex amicabili confidentia: Deus viciſſim ſua illi ſecreta communicat, ut ajebat Joan. XV. 15. *jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi* AMICOS, *quia omnia, quæcunque audivi* a Patre meo, nota feci vobis. Hinc proveniunt illa lumina in familiari cum Deo conſortio, quod fit per orationem, maxime mentalem. Vid. D. THOMAS hic q. 23. a. 1.

OBJIC. I. Ad amicitiam requiritur mu- 148
tua benevolentia; ſed non datur benevolentia Dei erga hominem; non enim diligit hominem propter hominem, ſed propter ſe ipſum: *univerſa* enim *propter ſemet ipſum operatus eſt dominus.* Prov. XVI. 4.

RESP. *Diſt.* Non diligit hominem propter hominem, tanquam finem mediatum & ultimum. *Conc.* proximum & immediatum. *nego.* Non in ſui, ſed hominis gratiam Deus proxime juſto bona confert, quod ad benevolentiam ſufficit.

OBJIC. II. Amicitia non poteſt eſſe niſi in- 149
ter æquales: ſed non datur æqualitas inter Deum & hominem. *ergo.*

RESP. *Diſt.* maj. Non datur niſi inter æquales, æqualitate ſtatus & materiali, ſeu abſolu-

absoluta. *Conc.* æqualitate proportionis. *Nego.* Per gratiam ſanctificantem, qua Divinæ efficimur participes naturæ, datur proportio inter animam juſti & Deum; nam ut in proverbio eſt, amor æquales vel invenit, vel facit. Ad hanc ergo æqualitatem proportionis divina nos gratia evehit.

150 Objic. III. Inter ſervum & Dominum non datur amicitia: ſed homo eſt ſervus, Deus eſt Dominus. *ergo.*

Resp. *Diſt.* Inter ſervum pure & *qua talem* non datur amicitia, *conc.* inter eum, *qui* natura quidem ſervus eſt, ſed gratia filius & amicus. *nego.*

151 Objic. IV. Non datur inter Deum & hominem mutua communicatio bonorum; quia nihil poteſt homo Deo tribuere. *ergo.*

Resp. *Diſt.* Nihil poteſt dare Deo, dignum ejus majeſtate, & tale, quo prius caruiſſet. *Conc.* dignum humana infirmitate, & dona, quæ homo a Deo habet, iterum in Deum referendo, gaudendo de bonis ipſius Dei, deſiderando & procurando bona æterna, ut dicimus: *ſanctificetur nomen tuum. neg.* quod explicatione non indiget.

§. II.

De objecto & motivo Charitatis.

Objectum *materiale* PRIMARIUM esse Deum, 152
SECUNDARIUM vero hominem, Angelum & proximum, propter Deum dilectum, facile inter omnes convenit. Hæc autem charitas, qua diligitur Deus & proximus, una specie virtus est, ut probat S. THOMAS 2. 2. q. 25. art. 1. hac ratione. Qui fertur in rationem objecti & qui fertur in objectum sub tali ratione, idem specie actus est: sicut eadem est specie visio, qua videtur lumen, & qua videtur color secundum luminis rationem: sed ratio diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit.

Objectum seu motivum *formale* charita- 153
tis esse bonitatem Dei ab omnibus admittitur: sed quoniam bonitas Dei duplex est: *absoluta*, qua Deus est in se & sibi bonus: alia *respectiva*, qua est bonus nobis tanquam nostra beatitudo, hinc oritur controversia hoc ævo celeberrima, quæ viros clarissimos Virgilium *Sedlmayr*, & Eusebium *Amort*, acriter inter se commisit. P. Virgilius cum communiori asserebat, solam bonitatem Dei *absolutam* esse motivum *formale*, amorem vero concupiscentiæ non esse actum charitatis, sed spei.

ſpei. D. Amort autem defendit, utramque conſtituere unum motivum formale adæquatum, & in actu charitatis eſſentialiter ſimul involvi amorem concupiſcentiæ, & benevolentiæ. Eadem quæſtio etiam ſub hac forma proponi ſolet, an charitas theologica ſit amor puræ benevolentiæ, ſeu, ut ajunt *desintereſſatus*, excludens amorem concupiſcentiæ: vel ſit mixtus ex utroque, atque adeo amor *intereſſatus*. Item an charitas in ſcriptura præcepta, ſit purus Amor benevolentiæ desintereſſatus: an vero Amor amicitiæ involvens utrumque: pro quorum plenio-re notitia

154 Obſervandum. Sicut in objecto *materiali* charitatis duo conſiderari poſſunt, unum quod eſt *primarium*, nempe Deus, & alterum *ſecundarium* primario ſubordinatum: ita & objectum *formale adæquatum* ex duobus motivis inadæquatis conſtare poſſe; ut ſcilicet bonitas Dei abſoluta ſit motivum formale primarium, reſpectiva vero, ſeu bonitas Dei quoad nos, ſeu quatenus beatificans, ſit ſecundarium, & priori ſubordinatum: quod quidem poſitive non excludi, ſed tamen ab eo abſtrahi poſſit, quod egregie dilucidat SS. Benedictus XIV. in opere de ſervor. Dei beatificat. l. 2. c. 31. n. 7. ubi agit de opere cujusdam ſervi Dei, quod de amore desintereſſato pertractans a S. congregatione Cardinalium

dinalium examinabatur. Sic vero ait: „ cum controversia inter FENELONIUM & „ BOSSVETUM a summo Pontifice INNOCEN- „ TIO XII. resoluta, non *actum* amoris, „ sed amoris *statum habitualem* respiceret; „ nullum vero in opere, quod exami- „ nabatur, Verbum haberetur de statu „ habituali, sed tantum de actu amoris, „ placuit S. congregationi responsio, quod „ doctrina servi Dei, nihil haberet com- „ mune cum doctrina reprobata Archie- „ piscopi cameracensis. Multo autem ma- „ gis id ei placuit, quia perspecto toto „ operis contextu visus est Dei servus sæ- „ pissime de spe theologica, & de exi- „ mia cupiditate fruendi Deo, locutus „ fuisse: & ita quidem, ut tuto dici „ potuerit, ab eo non fuisse in actibus „ amoris, super quibus quæstio institue- „ batur, separatum objectum æternæ bea- „ titudinis, sed tantum ab eo se abstra- „ xisse. Qua in re nihil inest absurdita- „ tis; quippe cum juxta theologos præ- „ cipuum & primarium charitatis objectum „ sit Deus in se perfectus, bonus & bea- „ tus, objectum autem minus præcipu- „ um, secundarium, & priori subordi- „ natum sit Deus uti beneficus, ac beati- „ ficus. Deus porro in se optimus ac „ beatissimus potest quidem secundum ip- „ sos theologos cogitari cogitatione *ab-* „ *stractiva*, ac transitoria, absque eo, quod „ actu & expresse cogitetur de Deo bene-

„ volo

„ volo ac benefico : ſed Deus benevo-
„ lus ac beneficus cogitari non poteſt, niſi
„ prius intellecto Deo in ſe beato ac op-
„ timo ordine ſanæ naturæ ac cognitionis,
„ ut ajunt, non tamen ſemper temporis. „
Hactenus ſapientiſſimus Pontifex, quæ verba bene notari velim. Ex quibus deducitur, amorem *concupiſcentiæ*, quo Deus diligitur ut nobis bonus & noſtra beatitudo, non *ſpei*, ſed *charitatis* actum eſſe, &, quod conſequitur, Bonitatem *reſpectivam eſſe motivum formale ſecundarium* virtutis charitatis, quamvis homo aliquando in actu amoris a beatitudine *abſtrahere*, non vero eam poſitive excludere queat: & quando diligitur Deus ut nobis bonus, amans tamen ita ſaltem *interpretative* conſtitutus eſſe debet, ut, ſi per impoſſibile Deus non eſſet noſtra beatitudo, Deum nihilominus gratuito & benevolo amore proſequi vellet: qui tamen amor non eſſet amicitiæ ſed benevolentiæ. hæc opinio, quodammodo media eſt inter D. Amort & Sedlmayr.

155 Resolutio I. Objectum formale charitatis non eſt ſola bonitas Dei abſoluta, ſed etiam reſpectiva, ita ut illa ſit primarium, hæc ſecundarium.

Prob. I. S. ſcriptura de præcepto charitatis loquens plerumque involvit etiam amorem concupiſcentiæ, ſeu motivum bonitatis reſpectivæ. *ergo. Ant. Prob.* primum præcep-

præceptum Amoris ita exprimitur: Deut. VI. 5. *Diliges Dominum Deum* TUUM: ſponſa in Canticis typus animæ perfecte amantis ait: II. 16. *Dilectus* MEUS MIHI *& ego illi.* David amore æſtuans Pſal. XVII. 2. *diligam te domine fortitudo* MEA *&c. Deus, Deus* MEUS *ad te de luce vigilo: ſitivit in te anima mea, ut viderem virtutem tuam & gloriam* TUAM. *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes Aquarum.* Et: *ſitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Fuerunt mihi lachrymæ meæ penes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus* TUUS? *quid mihi eſt in Cœlo, & a te, quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars* MEA *Deus in æternum.* Atqui ejusmodi ſuſpiria & affectus a SS. PP. dicuntur actus perfectiſſimæ charitatis. Certe etiam idea perfecte amantis erat S. FRANCISCUS Seraphicus, cujus hic erat fere continuus actus: *Deus* MEUS & *omnia.* Unde colligitur, amorem Dei, ut nobis boni, eſſe actum charitatis: ſed non eſt primarius. ergo ſecundarius.

PROB. II. Ex S. AUGUSTINO perfectiſſimo 156
amoris Magiſtro: hic infinitis in locis perfectum amorem deſcribens, ubique fere involvit amorem concupiſcentiæ. ergo eſt actus charitatis. *Ant. Prob.* aliquibus ſolum textibus: nam l. XIV. de Trinit. cap. 6. „ Dilectio nihil aliud eſt, quam voluntas „ fruendi aliquod appetens aut tenens. „

in Pſal. 134. „ Juſtis & ſanctis placuit „ Deus etiam flagellans eos . . . hoc eſt „ gratis amare, non quaſi propoſita ac- „ ceptione mercedis (terrenæ) quia ipſa „ merces tua ſumma Deus erit, ipſe, „ quem gratis diligis, & ſic amare debes, „ ut ipſum pro mercede deſiderare non „ deſinas, qui ſolus te ſatiet; ſicut Phi- „ lippus deſiderabat, cum diceret; *oſtende* „ *nobis patrem, & ſufficit nobis.* „ Epiſt. 52. „ Deus gratis vult ſe coli, gratis vult ſe dili- „ gi, hoc eſt caſte amari, non propterea ſe „ amari, quia dat aliquod præter ſe, ſed quia „ dat ſe. „ Serm. 35. T. 2. ſupplement. „ Qiud- „ quid mihi dederis præter te, vile eſt. Tu „ eſto hæreditas mea. Amo te, totus amo te, „ toto corde, toto anima mea, tota men- „ te amo te. Quid erit mihi, quidquid „ dederis præter te, hoc eſt Deum gra- „ tis amare, de Deo Deum ſperare, de Deo „ propiore impleri, de ipſo ſatiari. „ Serm. 7. de verbis Apoſt. cap. 4. „ Si amas, gra- „ tis ama, ſi vere amas, ipſe ſit merces „ tua, quem amas. „ L. 1. de morib. Ec- cleſiæ c. 25. „ Si Deus eſt ſummum ho- „ minis bonum, ſequitur, quoniam ſum- „ mum bonum appetere, eſt vivere, ut „ nihil ſit aliud bene vivere, quam toto „ corde, tota mente Deum diligere. Di- „ ligamus ergo Deum ex toto corde, qui „ ad æternam vitam pervenire propoſu- „ imus. Conc. 8. in Pſal. 118.: „ quid eſt „ iſta CONCUPISCENTIA, niſi bona DILECTIO. „

Ex iſtis locis etiam colligitur, SS. Patres, quando Deum amore caſto & gratuito diligendum eſſe ſcribunt, ſolum excludere intuitum mercedis creatæ & a Deo diſtinctæ, non autem ipſam bonitatem reſpectivam, tanquam charitatis motivum ſecundarium. "

Prob. III. Ex D. Thoma, ex cujus tex- 157
tibus conſtat, amorem concupiſcentiæ non eſſe actum ſpei. Nam in 3. ſent. D. 26. q. 1. art. 2. in corp. docet, amorem concupiſcentiæ eſſe in appetitu concupiſcibili. ibid. q. 2. a. 2. in corp. probans, ſpem eſſe virtutem theologicam ex definitione Magistri: ait „ Exſpectatio proprie dicit „ extenſionem appetitus in aliquid ardu- „ um: *certa* autem dicit *completionem* præ- „ dictam extenſionis, & quaſi *determina-* „ *tionem*, & in hoc completur ratio ſpei ab- „ ſolute: „ ergo juxta D. Thomam determinatio formalis ſpei eſt, quod ſit *certa*: ſed non eſt certa, niſi per fidelitatem promittentis, junctam omnipotentiæ. ergo eo ipſo ſpes diſtinguitur ſpecie a concupiſcentia. ibid. q. 2. a. 3. qq. 2. in corp. ait: „ De- „ ſiderium eſt quædam inchoatio amoris, „ & quaſi quidam amor imperfectus. Sed „ primum, quod amorem inducit, eſt „ facultas habendi id, quod deſideratur. „ In hac autem facultate ſpes conſiſtit; „ *& ideo amor rei diſtantis, quæ actu non* „ *habetur, præſupponit ſpem.* Sed quia ſpes

„ non eſt niſi boni, & primus motus ap-
„ petitus in bonum eſt deſiderium; ideo
„ ſpes præſupponit deſiderium, & eſt
„ media inter amorem & deſiderium. Un-
„ de actus fidei præcedit deſiderium, de-
„ ſiderium autem præcedit ſpem, ſpes au-
„ tem amorem. „

158 Sed omnium clariſſime D. Th. probat, amorem concupiſcentiæ eſſe actum charitatis non ſpei 2.2. q. 23. a. 4. in corp. „ Di-
„ cendum, quod actus & habitus ſpecifi-
„ cantur per objecta ut ex ſupra dictis
„ patet. Proprium autem objectum amo-
„ ris eſt bonum, ut ſupra habitum eſt.
„ Et ideo, ubi eſt ſpecialis ratio boni,
„ ibi eſt ſpecialis ratio amoris. Bonum
„ autem Divinum, in quantum eſt bea-
„ titudinis objectum, habet ſpecialem ra-
„ tionem boni; & ideo amor charitatis,
„ qui eſt amor hujus boni, eſt ſpecialis
„ amor, unde & charitas eſt ſpecialis vir-
„ tus. „ D. Thomam hic loqui de objecto formali, certum eſt, quia loquitur de ſpecificativo: & objectum formale eſt bonitas, quatenus eſt beatitudinis objectum. Sed bonitas Dei non ſolum *abſoluta*, ſed maxime *reſpectiva* eſt beatitudinis objectum: ergo bonitas reſpectiva eſt motivum formale charitatis. ergo Amor concupiſcentiæ eſt actus charitatis. Ibid. a. 7. in corp. ultimum & principale hominis bonum eſt Dei fruitio, ſecundum illud: Pſal. 27. *mihi adhærere Deo bonum eſt: & ad hoc ordinatur homo per charitatem.* Prob.

Prob. IV. Charitas, prout eſt virtus 159
theologica, non eſt ſolum amor benevolentiæ, ſed amor amicitiæ, etiam concupiſcentiam involvens. ergo concupiſcentia eſt actus charitatis. *Ant. Prob.* invictis teſtimoniis D. Thomæ, nam in 3. ſent. D. 27. q. 2. a. 1. proponit hanc quæſtionem: utrum charitas ſit idem, quod concupiſcentia, vel quid ſit charitas, cui reſpondet: „ Dicendum, quod amor eſt „ quædam quietatio. Unde ſicut appeti- „ tus invenitur in parte ſenſitiva, & in- „ tellectiva, ita & amor... Omnia au- „ tem alia nomina, quæ ad amo- „ rem pertinere videntur, vel includun- „ tur ab iſtis, vel includunt ea, quaſi „ addentia aliquid ſupra dilectionem & „ amorem. Quia enim amor unit quo- „ dammodo amantem amato, ideo amans „ ad amantem ſe habet, quaſi ad ſe ipſum, „ vel ad id quod eſt de perfectione ſui. Ad „ ſe ipſum autem & ad ea quæ ſui ſunt „ hoc modo ſe habet, ut primo velit ſibi „ præſens eſſe quidquid de perfectione ſua „ eſt: & ideo amor includit concupiſ- „ centiam amati, qua deſideratur ejus „ præſentia. Secundo homo alia in ſe ip- „ ſum retorquet per affectum, & ſibi „ appetit, quæcunque ſibi expediunt; & „ ſecundum hoc, quod ad amatum affi- „ citur, amor benevolentiam includit, „ ſecundum quam aliquis amato bona de- „ ſiderat. Tertio homo ea, quæ ſibi ap-

„ petit, operando sibi acquirit; & secundum quod hoc ad alium exercetur, beneficentia in amore includitur. Quarto homo ea, quæ sibi bona videntur, implere consentit, & secundum quod hoc ad amicum fit, amor concordiam includit, secundum quam aliquis consentit in his, quæ amico videntur, non quidem in speculativis: quia concordia in his secundum Philos. IX. Eth. c. 6. ad amicitiam non pertinet, & discordia in eisdem esse potest sine amicitiæ præjudicio. Amor tamen super quatuor prædicta aliquid addit, scilicet quietationem appetitus in re amata, sine qua quodlibet prædictorum quatuor esse potest. Sunt etiam quædam, quæ super dilectionem vel amorem aliquid addunt, Amatio enim addit super amorem intensionem, quamdam amoris, quasi fervorem quemdam. Amicitia vero addit duo: quorum unum est societas quædam amantis & amati in amore, ut scilicet mutuo se diligere sciant; aliud est, ut ex electione operentur, non tantum ex passione. Unde dicit philosophus, quod amicitia similatur habitui, amatio autem passioni. Sic ergo patet quod *amicitia est perfectissimum inter ea, quæ ad amorem pertinent, omnia prædicta includens*. Unde in genere hujusmodi ponenda est charitas, quæ est quædam amicitia hominis ad Deum, per quam homo Deum

„ diligit,

„ diligit, & Deus hominem: & ſic effi-
„ citur quædam aſſociatio hominis ad De-
„ um. „ Item ibid. ad 1. „ dicendum, quod
„ quælibet amicitia concupiſcentiam, ſeu
„ deſiderium includit, & aliquid ſuper eam
„ addit. „ Hæc D. Th. quo nihil clarius.

Idem S. D. etiam in ſumma probat, 160
charitatem non eſſe amorem puræ benevo-
lentiæ, ſed amicitiæ, involvens amorem
concupiſcentiæ. Nam 2. 2. q. 23. a. 1. in
corp. ait: „ Non quilibet amor habet ra-
„ tionem amicitiæ, ſed amor, qui eſt
„ cum benevolentia; quando ſcilicet ſic
„ amamus aliquem, ut ei bonum velimus:
„ ſed nec benevolentia ſufficit ad ratio-
„ nem amicitiæ, ſed requiritur quædam
„ mutua amatio. Talis autem mutua be-
„ nevolentia fundatur ſuper aliquam com-
„ municationem: cum ergo ſit aliqua
„ communicatio hominis ad Deum, ſecun-
„ dum quod nobis ſuam beatitudinem com-
„ municat, ſuper hac communicatione
„ oportet aliquam amicitiam fundari: amor
„ autem ſuper hanc communicationem fun-
„ datus eſt charitas: unde manifeſtum eſt,
„ quod charitas (theologica) amicitia quæ-
„ dam eſt hominis ad Deum. „ Ibidem
Q. XXV. a. 12. in corp. „ Amicitia cha-
„ ritatis ſuper communicatione beatitudi-
„ nis fundatur, in qua communicatione
„ unum eſt, quod conſideratur ut princi-
„ pium influens beatitudinem, ſcilicet

„ Deus (nobis bonus) . . . Id quidem, „ quod eſt beatitudinem influens, eſt ea „ ratione diligibile, quia eſt beatitudinis „ cauſa. „ ergo amor concupiſcentiæ, qua diligitur Deus ut noſtra beatitudo, eſt actus charitatis, non ſpei. Item 2. 2. q. 27. a. 2. in corp. „ Benevolentia proprie dici- „ tur actus, quo alteri bonum volumus. „ hic autem actus voluntatis differt ab „ actuali amore, tam ſecundum quod eſt „ in appetitivo ſenſitivo, quam etiam ſe- „ cundum quod eſt in appetitu intellectivo, „ qui eſt voluntas Sed amor, qui eſt „ in appetitu intellectivo, etiam differt a „ benevolentia; importat enim quandam „ unionem ſecundum affectum amantis ad „ amatum, in quantum ſcilicet amans æſti- „ mat amatum quodammodo ut unum ſibi „ vel ad ſe pertinens, & ſic movetur in „ ipſum. Sed benevolentia eſt ſimplex „ actus voluntatis, quo volumus alicui „ bonum, etiam non præſuppoſita unione „ prædicta affectus ad ipſum. Sic ergo „ in dilectione, ſecundum quod eſt actus „ charitatis, includitur quidem benevo- „ lentia, ſed dilectio ſive amor addit unio- „ nem affectus. Et propter hoc Philo- „ ſophus dicit, quod benevolentia eſt prin- „ cipium Amicitiæ. „ Item 1. 2. q. 65. a. 5. in corp. „ Charitas non ſolum ſignificat „ amorem Dei, ſed etiam amicitiam quan- „ dam ad ipſum, quæ ſuper amorem „ addit mutuam redamationem cum qua-

„ dam

„ dam communicatione mutua. „ Ex his omnibus ſic licet argumentari. Charitas non eſt pura benevolentia, ſed amicitia; atqui amicitia involvit concupiſcentiam, quia fundatur ſuper communicatione beatitudinis, ex quo oritur amor Dei ut nobis boni. ergo amor concupiſcentiæ eſt amor charitatis.

Prob. Ratione. I. Amor diligens Deum 161
ſub ratione formali bonitatis reſpectivæ, eſt virtus theologica: ſed nec eſt fides: nec ſpes; quia utraque habet motivum formale ſpecie diſtinctum. ergo eſt charitas.

II. Amor concupiſcentiæ erit perfecte in Patria, ubi bono concupito fruemur: ſed ibi nulla eſt ſpes. ergo amor concupiſcentiæ non eſt actus ſpei.

III. Si charitas tanquam virtus theolo- 162
gica non involveret amorem concupiſcentiæ, tunc ſequeretur, actum charitatis eſſe pure benevolum, & quod alii actus a charitate imperati v. g. ſpei, timoris, concupiſcentiæ, non elicerentur ex motivo proprio intereſſato, ſed ex motivo charitatis desintereſſatæ, ſeu unico beneplacito Divino. Sed hoc non poteſt admitti. *ergo &c.* M. Conſtat, quia charitas non poteſt aliam virtutem niſi ex motivo charitatis attingere vel imperare: *Min. Prob.* ſi actus charitatis eſſet pure benevo-

 lus,

lus, & omnes alii virtutum actus ex motivo charitatis desinteressato elicerentur, tunc hi actus forent omnium perfectissimi: sed hoc iterum nequit admitti. *ergo &c.* M. constat, quia actus a charitate eliciti vel imperati, sunt perfectiores omnibus virtutibus & actibus ex motivo cuilibet virtuti proprio elicitis. *min. prob.* si isti actus forent omnium perfectissimi, tunc Christianæ perfectionis summa in iis consisteret: sed hoc nequit admitti: ergo &c. *min.* prob. si Christiana perfectio consisteret in amore benevolentiæ elicito & imperante, tunc possibilis est status habitualis amoris desinteressati; quia possibilis est status habitualis Christianæ perfectionis, imo non tantum possibilis, sed & præceptus esset; quia omnes tenentur esse perfecti, vel saltem ad eam perfectionem tendere: sed hoc damnatum fuit in Fenelonio per plures propositiones, quarum prima & secunda N. 141. legitur: reliquæ apud authores passim extant.

Respondent quidem adversarii, propositiones prædictas ideo fuisse damnatas, quia Fenelonius actus aliarum virtutum, ut est spei, timoris &c. positive excluserit; ut adeo homo non amplius timeat pænas, nec speret beatitudinem. Sed

163 Contra est: Fenelonius non exclusit *actus* aliarum virtutum, spei &c. sed solum *motivum*

motivum earum virtutum proprium, volens, ut quando homo concupiſcit vel ſperat beatitudinem, aut timet pænas, hoc non faciat ex motivo fidelitatis, bonitatis reſpectivæ, vel juſtitiæ divinæ, ſed ſolius beneplaciti Divini, quia ſic Deo placet, prout patet ex prop. 5. *In eodem ſanctæ indifferentiæ ſtatu nihil nobis, omnia Deo volumus; nihil volumus ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium; ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.* Et Prop. 6. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum: ſed eam volumus voluntate plena ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum.* Ex quibus evidens eſt, Fenelonium non excluſiſſe deſiderium ſalutis, ſpem, concupiſcentiam, ſed ſolum motivum proprium earum virtutum. Atqui hoc ipſum ſequitur in adverſariorum opinione, ſi perfectio Chriſtiana & puritas amoris in mera benevolentia conſiſtat; tunc enim, ut aliquis perfecte & perfectiſſime operetur, non debet deſiderare ſalutem *tanquam* ſalutem & maximum hominis bonum, ſed quia Deo ſic placet &c. ex his ſponte fluit

164 Resolutio. II. Perfectio Christiana, & puritas amoris non obligat ad actus puræ benevolentiæ, sed ad amorem amicitiæ, & ad actus practicos.

Prob. I. Amor Dei erga homines est perfectissimus; sed amor Dei est amicitiæ: ergo perfectio amoris consistit in amicitia: sed homo tenetur ad amorem perfectum erga Deum: ergo tenetur ad amorem amicitiæ, qui necessario debet esse mutuus & reciprocus: *min.* syllog. prob. S. scriptura amorem Dei erga homines declarat per amicitiam: sic ipse Christus suam erga Apostolos dilectionem explicat per amicitiam Joan. XV. 9. & seq. Judith. VIII. 22. *Abraham per multas tribulationes probatus, Dei* AMICUS *effectus est, sic & omnes qui placuerunt Deo.* Cant. I. *pulchra es* AMICA *mea.*

165 Prob. II. Id docent etiam PP. Chrysostomus in 2. ep. ad Timoth. hom. 7. „ Neque enim charitas quidquam aliud est „ quam amicitia. *In hac*, inquit, *lex pen-* „ *det & prophetæ.* „ S. Augustinus l. 3. de doct. Christiana l. 10. „ scriptura nil „ præcipit nisi charitatem; charitatem „ voco motum animi ad fruendum prop- „ ter ipsum Deum, id est, ut ibid l. 1. „ cap. 22. explicat, propter Deum tan- „ quam nostram beatitudinem. „ Clemens Alexandrinus l. 2. stromat. „ charitas est

„ connexio

„ connexio animorum, seu ut paucis „ dicam, exhibitio amicitiæ.

Prob. III. Ratione. Amor in scriptura 166 præceptus, & qui perfectionis est apex, est charitas theologica; sed hæc est amicitia, ut post D. Thomam omnes fere theologi admittunt: ergo amor in scriptura præceptus est amicitia, & non pura benevolentia. Jam vero amicitia involvit beneficentiam, quatenus ut D. Thomas n. 159. cit. ait: ea quæ amans amato desiderat, operando studet acquirere. Igitur tenetur homo pro viribus augere gloriam Dei, impedire ejus offensionem, procurare salutem aliorum, & operam dare ut sanctificetur nomen Dei: & hoc ex charitate, seu legibus amicitiæ.

Objic. Contra I. Resolut. D. Thomas 2. 2. 167 q. 17. a. 8. in corp. docet amorem concupiscentiæ esse actum spei. *ergo.* ant. prob. ita enim ait: „ Amor quidam est per„ fectus, quidam imperfectus. Perfectus „ amor est, quo aliquis secundum se ama„ tur, ut puta, cum aliquis secundum se vult „ alicui bonum, sicut homo amat ami„ cum. Imperfectus amor est, quo quis „ amat aliquid non secundum se ipsum, „ sed ut illud bonum sibi ipsi proveniat, „ sicut homo amat rem, quam concupis„ cit. Primus amor pertinet ad charita„ tem, quæ inhæret Deo secundum se „ ipsum: sed spes pertinet ad secundum

„ amo-

„ amorem, quia ille qui ſperat, aliquid „ ſibi obtinere intendit. „

II. Juxta D. Th. l. mox cit. „ amor con- „ cupiſcentiæ eſt imperfectus, & ſola be- „ nevolentia eſt perfecta charitas. ergo hæc „ ſola ſine motivo concupiſcentiæ eſt vir- „ tus theologica.

RESPOND. ad I. Textus D. THOMÆ mihi potius favet; amor enim, quem perfectum nuncupat, eſt amicitia, quia ponit pro exemplo: *ſicut homo amat amicum.* Sed amicum amat amore amicitiæ. ergo ſola amicitia eſt amor perfectus: ſed amicitia eſt amor perfectus: ſed amicitia includit concupiſcentiam, quia fundatur ſuper communicatione bonorum.

RESPOND. II. *Diſt.* perfectus amor eſt, quo aliquis ſecundum ſe amatur *primario*, & ſecundario etiam ratione boni communicati: *conc.* *unice* & ſolo amore *benevolentiæ.* nego. benevolentia ex principiis D. THOMÆ eſt principium amicitiæ, ſed non unicum ejus conſtitutivum; quia ſuper communicatione bonorum fundari debet. Dein S. THOMAS non dicit, amorem imperfectum pertinere ad ſpem, ſed viciſſim, ſpem pertinere ad amorem concupiſcentiæ; quia licet ſpes ordine naturæ concupiſcentiam præcedat, quandoque tamen concupiſcentiam ſequitur.

RESPOND. III. *Diſt.* D. THOMAS amorem concupiſcentiæ vocat imperfectum, ſi ſit ſolitarius

litarius & Deus unice vel primario diligatur, ut nobis bonus. *Conc.* ſi ſit conjunctus cum benevolentia tanquam motivo principali. *neg.*

Respond. ad. II. *neg. min.* perfecta enim charitas eſt amicitia, quæ benevolentiam quidem includit, ſed aliquid ſuper eam addit: nempe unionem fundatam in communicatione beatitudinis.

Objic. II. In propoſitionibus Fenelonii 168
non fuit damnatus actus amoris desintereſſati, ſed tantum ſtatus habitualis: ergo ex his propoſitionibus nihil Probatur.

II. Si in actu charitatis involvitur amor concupiſcentiæ, ſequitur, quod homo velit beatitudinem ut ſibi bonam, & ut Deo bonam: quod videtur abſurdum.

III. Sequitur, quod homo ordinet ſe & omnia ad Deum, & viciſſim Deum ad ſe: quod eſt abſurdum.

IV. Sequitur, quod ſublata beatitudine homo non diligeret Deum, quod eſt turpe & mercenarium.

V. Deus eſt in ſe ipſo amabilis: ergo debet diligi, etſi non foret noſtra beatitudo.

VI. Actus amoris desintereſſati eſt perfectior intereſſato: ergo ut diligatur perfecte, debet diligi pure benevole.

VII.

VII. Actus charitatis, quos elicuerunt varii ſancti, erant prorſus desintereſſati, cum excluſione etiam beatitudinis: ergo in pura benevolentia conſiſtit perfectio charitatis. *Ant. Prob.* MOYSES Exod. 32. dixit ad Deum: *aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* PAULUS Rom. 9. ait: *optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus.* S. FRANCISCUS Xaverius in hymno vulgari ſuſpirat: *o Deus, ego amo te, nec amo te ut ſalves me, aut quia non amantes te æterno punis igne Cur igitur non amem te, non ut in cœlo ſalves me, aut ne æternum damnes me, nec præmii ullius ſpe &c.* S. AUGUSTINUS fertur hunc elicuiſſe affectum: *ego ſi eſſem Deus, vellem facere, o Domine, ut tu eſſes Deus, & ego Auguſtinus.*

RESPOND. ad. I. *Diſt.* actus charitatis desintereſſatæ *excluſivus* beatitudinis, non fuit damnatus. *neg.* *abſtractivus.* *con.*

RESPOND. II. Non fuit damnatus *directe conc.* *indirecte. nego.* quatenus nimirum, ſi perfectio actus charitatis in pura benevolentia conſiſtit, poſſibilitas ſtatus habitualis amoris desintereſſati legitime infertur.

RESP. ad II. *Diſt.* ſequitur, quod homo velit beatitudinem, ut ſibi & Deo bonam, motivo diverſo & ſubordinato: *conc.* eodem: *neg.* in quo nihil abſurdi reperitur.

RESPOND.

Respond. ad. III. Eodem modo, nimirum ex duplici motivo ſibi ſubordinato.

Respond. ad. IV. *Diſt.* non diligeret Deum amore amicitiæ. *conc.* benevolentiæ. *neg.*

Resp. ad V. *Diſt.* Deus eſt in ſe ipſo amabilis, amore benevolentiæ. *conc.* amicitiæ. *neg.* ergo debet diligi ſub eadem diſtinctione.

Resp. ad VI. *tranſ. ant.* nego *conſ.* quia Deus ab homine requirit amorem amicitiæ in ordine ad actus practicos. dixi *tranſ.* quia D. Thomas n. 159. citatus expreſſe docet, amorem amicitiæ eſſe omnium perfectiſſimum, utpote qui amorem benevolentiæ & omnia alia includit.

Resp. ad VII. Nego *ant.* vel *diſt.* erant desintereſſati, *explicite*, quia a motivo ſecundario *abſtrahebant. conc.* etiam *implicite*, quaſi motivum beatitudinis omnino poſitive *excluſiſſent* : nego. Moyses voluit id unum dicere : dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro viventium, id eſt, exopto mori ; quia in his circumſtantiis non poſſum promovere gloriam tuam. Ita interpretes multi & inſignes. Paulus non optabat excludi a beatitudine, utpote quam intenſiſſime deſiderabat : *Cupio diſſolvi &c.* ſed vel mori, vel omnes temporales ærumnas pati pro fratribus. Quod neuter bea-

titudinem *positive* voluerit excludere pro impetranda aliorum ſalute, patet; quia quisque ſub gravi peccato tenetur ſervare ordinem charitatis, & animæ ſuæ ſalutem ſemper præferre aliorum ſaluti. S. Franciscus Xaverius, ſi tamen hymnus ipſius genuinus eſt, quod impugnat D. Amort, tantum hoc voluit; quod ex motivo *unico* & *primario* non diligat Deum, ut ſuam beatitudinem, ſed *primario* ut ſummam bonitatem Dei in ſe, *ſecundario* vero etiam, ut ſibi bonum: a quo tamen abſtraxit, non vero poſitive excluſit. Affectus ille nimium impoſſibilis Augustino affictus fuiſſe videtur; quoniam nullum illius veſtigium in ullo ejus opere extat. Poſſet etiam dici, fuiſſe exceſſum non tam amantis, quam amentis & ſpiritualiter ebrii, conjunctum cum bono motu benevolentiæ. Ex quibus omnibus non ſequitur, Deum amore prorſus desintereſſato eſſe diligendum; ſed ad ſummum, quod per tranſitum quemdam, & quaſi mentis exceſſum ſic poſſit diligi; quod abſolute non nego. De hoc autem non quæritur, ſed de eo, an perfectio charitatis, quatenus importat præceptum Divinum, in mera benevolentia, vel amicitia conſiſtat. Textus SS. PP. quorum plurimi proferri poſſent, dum dicunt, debere Deum diligi absque intuitu mercedis, intelligendi ſunt, quod vel excludant mercedem *diſtinctam* a Deo, non vero Deum, qui eſt

merces

merces noſtra magna nimis : vel quod beatitudo non debeat eſſe motivum unicum, aut primarium.

§. III.

De excellentia, adquiſitione & augmento Charitatis.

LUTHERI & CALVINI error eſt, fidem, utpote, quæ ſola juſtificat, eſſe chari- 169
tate præſtantiorem. Quidam e catholicis etſi fateantur, charitatem in genere virtutis & moris omnes alias præcellere, exiſtimant tamen, fidei, utpote ad intellectum pertinenti, in genere phyſico & entis præ charitate primas deferendas eſſe. De modo acquirendi charitatem quæritur etiam, an per vires naturales poſſet acquiri, vel unice per infuſionem haberi. Ac denique, an charitas poſſit augeri : quod definitum eſt in concilio VIENNENSI contra Beguardos & Beguinas, qui exiſtimabant, hominem in præſenti vita, ad tantum perfectionis gradum poſſe conſcendere, quo fieret prorſus impeccabilis, & ut in gratia amplius proficere non poſſet : definivit quoque conc. TRIDENTINUM Seſſ. 6. hominem juſtificatum per opera bona gratiæ mereri augmentum. Scholaſtici ulterius inquirunt, quomodo charitas augeatur : de quibus ſcripſit GORANUS Serm. 2. in Dom. 22. poſt Pent. *Clerici diſputant de augmento*

charitatis : ſed ſancti orant pro augmento charitatis. Ulterius quærunt, an Charitas quolibet actu charitatis elicito vel imperato, etiam ſolum remiſſo augeatur, & quidem ſtatim : an vero ſolum mereatur augmentum, tunc demum conferendum, cum actus fuerit ipſo habitu præexiſtente intenſior. His obſervatis breviter ſtatuuntur

170 Resolutio I. Charitas in genere phyſico & moris omnibus virtutibus perfectior eſt.

Prob. I. D. Paulus 1. Cor. XIII. expreſſe ait: *fides ſpes, & charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* Rom. XIII. 10. *plenitudo legis eſt dilectio* ad Corinth. l. c. *Si habuero omnem fidem, ſi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil ſum, nihil mihi prodeſt:* omitto PP. in hoc puncto concordes. Ratio eſt I. quoad virtutes morales ; hæ enim non immediate ipſum Deum attingunt, ſicut charitas.

II. Quoad fidem & ſpem ; quia charitas perfectiori & nobiliori modo Deum attingit. Fides enim attingit Deum, prout ab ipſo nobis provenit cognitio veri, charitas vero ita Deum attingit, ut in ipſo ſiſtat.

III. Fidei adhæret imperfectio quædam, quod ſit obſcura: ſpei, quod objectum ſit arduum : nullus vero reperitur defectus in

in charitate, quæ fertur in Deum ſumme bonum, noſque cum eo conjungit. Atque ex hac ratione etiam colligitur, quod phyſice aliis virtutibus natura perfectior ſit; quia nos hic Deo conjungit per unionem animorum, quæ etiam in patria, perfectiori tamen modo perdurat.

Resolutio II. Charitas per ſe acquiri- 171
tur infuſione per ſpiritum S. dixi *per ſe*, quia per accidens etiam aliæ virtutes infunduntur: etiamſi acquiri poſſint naturaliter, quod charitati repugnat.

Prob. Id expreſſe declarat S. ſcriptura: Rom. V. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum S. qui datus eſt nobis*; fuit id etiam definitum contra Pelagianos, qui putabant, naturæ viribus charitatem juſtificantem poſſe acquiri, eamque ſecundum merita naturalia dari, quibus de gratia actuali ſatisfactum eſt. Ratio eſt; quia charitas tanquam aliquid ſupernaturale omnem proportionem naturæ tranſcendit, eaque a Deo infunditur, qui dividit ſingulis, prout vult. Neque etiam Deus in diſtribuendis ſuis donis reſpicit ad capacitatem ſeu proportionem ſubjecti naturalem, quia quandoque ſimplices & idiotæ amplioribus ab eo charismatibus donantur, quam acutiſſima ingenia. Charitas ſiquidem in voluntate reſidet, non vero in intellectu.

172 Resolut. III. Actus charitatis etiam remissi, merentur augmentum gratiæ & charitatis, quod tamen non statim confertur. Est Commun. Thomist. contra Extraneos. An vero conferatur adhuc in via, dum homo elicit actum intensiorem charitatis, vel in fine vitæ, aut in primo instanti glorificationis: non vacat excutere: nec etiam theologica suppetunt pro alterutra parte argumenta.

Prob. I. pars, quod charitas augeatur. Nam Apostolus Philipp. I. 9. ait, *oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Et Ecclesia precatur: *Da nobis fidei & spei & charitatis augmentum; & ut mereamur assequi, quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Contrarium tanquam erroneum damnatum est in conc. Viennensi contra Beguardos & Beguinas. quod vero etiam actus remissi mereantur augmentum, videtur assertum a D. Thoma 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ: & 2. 2. q. 24. a. 6. ad 1. quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum. Tridentinum Conc. Sess. VI. Cap. 1. docet, quod justi præceptorum observantia in gratia justificante crescant. Atqui ad implendum præcepta non requiritur fervor, & intensio charitatis, sed sufficiunt etiam actus remissi, ergo hi merentur augmentum charitatis. Et ibid. can. 32. definivit, justos

ſtos per opera bona vere mereri augmentum gratiæ. Sed quilibet actus charitatis remiſſus, eſt opus bonum, & meritorium. *ergo &c.*

Prob. Ratione I. actus remiſſus habet omnes conditiones ad meritum de condigno requiſitas, ut examinanti patet. 173

II. Quivis actus remiſſus meretur augmentum gloriæ: ergo etiam gratiæ & charitatis; quia augmentum gloriæ reſpondet augmento charitatis & gratiæ. *Ant.* vero patet ex promiſſione Chriſti, qui Matth. 10. & Marc. IX. 40. ait, eum, qui dederit calicem aquæ frigidæ in nomine Chriſti, non fore privandum mercede ſua.

III. Ex ſententia adverſa ſequeretur, quandoque actum remiſſum, non vero intenſum aliquid mereri; ſi enim alicujus habitus charitatis ſit intenſus, ut duo, & actus ab eo elicitus intenſus, ut tria, hic actus juxta adverſarios meretur augmentum charitatis ut tria: dum econtra ſi habitus alterius ſit intenſus ut ſex, & actus ſolum ut quatuor, nihil meretur: quod videtur abſurdum.

Prob. II. pars, illud augmentum non ſta- 174
tim conferri. Id expreſſe docere videtur D. Thomas tum 1. 2. q. 114. a. 8. ad 3. tum hic q. 24. a. 6. ad 1. ubi ait: „ quili-

 „ bet

„ bet actus charitatis meretur vitam æter„ nam, *non quidem statim exhibendam*, sed „ suo tempore. Similiter etiam quilibet „ actus charitatis meretur charitatis aug„ mentum, *non tamen statim augetur*, sed „ quando aliquis conatur ad hujusmodi „ augmentum, „ nempe dum actum intensiorem elicit. Ratio est. Ut quis actu consequatur augmentum charitatis, debet ad illud physice sufficienter esse dispositus; sed per actus remissos physice sufficienter non est dispositus. *ergo. min. prob.* Deus eodem modo operatur in supernaturalibus, sicut in naturalibus; sed actus naturales remissi non augent physice habitum, seu ad augmentum non sufficienter disponunt: ut docet D. Th. 1. 2. q. 51. a. 3. *ergo.* probatur etiam M. primi syllogismi. Idem observatur ordo in augmento charitatis, qui servatur in prima illius infusione: atqui charitas adultis infunditur pro ratione sufficientis dispositionis, ut docet Tridentinum Conc. Sess. VI. Cap. 7. vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam *secundum mensuram*, quam spiritus S. partitur singulis, prout vult, & *secundum proprium cujusque dispositionem* & cooperationem. ergo etiam in augmento idem fit.

175 Objic. contra hanc Resol. I. conc. Tridentinum Sess. VI. Cap. 16. & Can. 24. docet, justificatos per opera bona de die in

in diem crescere in accepta justitia, & magis sanctificari. Sed hoc non verificatur, nisi statim conferatur augmentum, sed differatur in alteram vitam. ergo statim confertur.

Respond. *neg. min.* Etsi enim non crescant *physice*, eoquod habitus charitatis physice non augetur: crescunt tamen *moraliter*; quia quilibet actus remissus tribuit jus ad augmentum gratiæ & gloriæ suo tempore conferendæ.

Objic. II. Merito de condigno statim 176
confertur præmium; sed actus remissi charitatis merentur de condigno augmentum gratiæ & charitatis. ergo illud statim confertur.

Resp. Dist. M. statim confertur præmium, si subjectum est sufficienter dispositum *conc.* M. secus neg. *maj.*

Objic. III. Si non confertur statim, tunc 177
non potest assignari tempus aptum, quo conferatur; quia non conveniunt thomistæ inter se: ergo &c.

Respond. trans. *ant.* *neg.* *cons.* quamvis enim non possit certo determinari tempus, quo augmentum physice confertur, thomistæ tamen probabiliter (etsi contradicat Card. Gotti) dicunt, illud conferri, non in hac vita; quia etiamsi homo eliciat actum ferventiorem, ei respondet proprium augmentum statim conferendum,

non vero augmentum actui remiſſo debitum. Sed in altera vita, in primo inſtanti glorificationis, quo beatus elicit actum intenſum charitatis: quamvis per illum actum nihil mereatur, ſed ſolum ad augmentum actibus remiſſis debitum recipiendum ſe diſponat. Cujus rationem dant a pari; quia D. THOMAS, q. 7. de malo a. 11. docet, peccata venialia, cum quibus in vita non retractatis juſtus forte decedit, remitti in altera vita per actum contritionis & charitatis, quem anima in inſtanti ſeparationis, vel ingreſſus purgatorii elicit: & quamvis iſte actus non ſit meritorius, vel ſatisfactorius, poteſt tamen per modum condignæ retractationis diſponere ad remiſſionem venialium per modum removentis prohibens. ergo etiam in hoc caſu. Ita Thomiſtæ. Sed videtur, incertum probari per aliud incertum. Ei enim doctrinæ D. Th. multi alii theologi contradicunt, nec videtur illa ſufficienter in ſcriptura aut Patribus eſſe fundata. Ego hoc arcanum Dei judicio & miſericordiæ, aliorum vero arbitrio decidendum relinquo.

§. IV.

De præcepto Charitatis erga Deum.

178 Operæ pretium foret hic pertractare, an actus charitatis adulto neceſſarius ſit

ſit neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem. Sed quoniam hæc quæſtio deſcendit ab ea, an attritio ſine amore charitatis intra ſacramentum juſtificet: hic ſuperſedendum eſt. Et illi quidem theologi, qui affirmativam propugnant, ſimulque amorem concupiſcentiæ actum ſpei eſſe exiſtimant, neceſſario fateri debent, poſſe adultum aliquem ſalvari ſine ullo actu charitatis, ſaltem eo caſu, ubi attritus intra ſacramentum juſtificatus ſubito decederet e vita. Itaque de præcepto hic unice quæritur, & quidem imo: an detur præceptum affirmativum diligendi Deum ſuper omnia, diſtinctum ab omni alio præcepto. Fuere enim laxiſſimi quidam probabiliſtæ, qui cum Tamburino & Sirmondo defendere auſi ſunt, præceptum dilectionis Dei non eſſe *ſpeciale*, nec ſpeciali tempore implendum, *ſed generale*, imbibitum in omnibus præceptis: immo ulterius progreſſi non dubitarunt aſſerere illud non eſſe *poſitivum*, ſed *negativum*; quod ſufficienter impleatur, ſi modo Deus odio non habeatur. An non vel propter ſolos fructus damnanda eſt peſſima probabiliſmi arbor? dein indagandum, quo tempore & quoties in vita hoc præceptum obliget. His quæſitis ſatisfaciunt ſequentes

Resolutio I. Præceptum dilectionis Dei 179
eſt affirmativum, & ſpeciale, ab aliis omnibus diſtinctum. Prob.

Prob. I. pars. Chriſtus Matth. XXII. 36. a doctore legis interrogatus: *quod eſt mandatum magnum in lege?* Reſpondet: *diliges Dominum Deum tuum &c. hoc eſt maximum & primum mandatum.* Obligat etiam ad actus internos poſitivos & proprios, ſicut præceptum dilectionis proximi, ut patebit §. ſeq. ex eo enim, quod Deus præceperit ſanctificare ſabbatum, manifeſte concluditur, eſſe præceptum affirmativum. ergo etiam quia præcipit ſe diligi, erit affirmativum.

180 Quod vero ſit præceptum *ſpeciale & diſtinctum* ab omnibus aliis: probatur I. Ratione D. Thomæ hic q. 44. a. 2. ubi eſt ſpecialis ratio debiti, ibi eſt ſpeciale præceptum: ſed eſt ſpecialis ratio diligendi Deum ex debito. ergo &c. *min. prob.* ſpecialis ratio debiti eſt, ut homo rite ſe habeat circa ultimum finem; ſed hoc fieri nequit, niſi per charitatem ultimo fini conjungatur; quia virtutes aliæ eum non attingunt, niſi per charitatem.

II. Si præceptum charitatis non eſſet ſpeciale & diſtinctum, ſed imbibitum in aliis, tunc toties obligaret, quoties urget obligatio alterius præcepti, nec poſſet illud impleri, niſi per charitatem: ſed hoc eſt falſum; quia ſecus peccator charitate deſtitutus omnium mandatorum obſervantia peccaret & quidem graviter: quod eſt in Bajo & Quesnello damnatum. III.

III. Sequeretur inſuper, quod hoc præceptum obligaret ſemper & pro ſemper, quia involveretur etiam in præceptis negativis, quod eſt contra omnium ſenſum.

Resolutio II. Præceptum dilectionis Dei ſuper omnia obligat ſæpius in vita, & quidem 1. in principio morali uſus rationis: 2. in morali periculo & fine vitæ. Eſt ſententia communis, & ut mihi videtur certa.

Prob. I. pars. Veritas hujus reſolutionis 181
patet ex propoſitionibus probabiliſtarum damnatis, quarum plures ſunt. Prima ab Alexandro VIII. ordine 1. damnata. „ Bonitas objectiva actuum humanorum conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis. „ Secunda ab Alexandro VII. ordine 5. „ homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. „ Tertia ab Innocentio X. n. 5. „ an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum eliceret? condemnare non audemus. „ Quarta ab eodem damnata ordine 6. „ Probabile eſt, ne ſingulis qui-

„ dem

„ dem rigorose quingenniis per se obli-
„ gare præceptum charitatis erga Deum. „
Quinta ab eodem ordine 7. „ Tunc solum
„ obligat præceptum charitatis, quando
„ tenemur justificari, & non habemus
„ aliam viam qua justificari possumus. „

182 Quod vero hoc præceptum obliget in primo instanti morali usus rationis est sententia expressa D. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. ubi docet, cum peccato originali non posse conjungi solum veniale sine mortali, & rationem dat hanc ad 3. „ primum quod occurrit homini discretionem habenti est, „ quod de se ipso cogitet; ad quem alia „ ordinat sicut ad finem. Finis enim est „ prior in intentione, & ideo hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit Zach. 1. „ *convertimini ad me, & ego convertar ad* „ *vos.* Et siquidem se ipsum ordinaverit „ ad debitum finem, consequetur remissionem peccati originalis. Si vero non „ ordinat se ipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod est in se. „ Itaque ratio est. Usus rationis tunc incipit, dum homo primo cognoscit Deum ut Ens supremum, remuneratorem bonorum, & vindicem malorum, consequenter tanquam suum finem ultimum: sed eo ipso tempore tenetur tendere & se convertere ad ultimum finem,

quod

quod fieri poteſt unico actu : v.g. volo Deo tota vita mea ſervire, & placere tanquam ſummo bono meo & amico. *ergo. min.* conſtat ex eo ; quia dum quis viam ingreditur, de fine cogitare & ad eum tendere debet. Sed in primo inſtanti uſus rationis homo viam vitæ moralis & humanæ ingreditur. *ergo &c.* quod vero hoc præceptum & quidem ſub gravi peccato etiam obliget in articulo & probabili periculo mortis, ratio eſt fere eadem ; quia dum homo propinquat fini, maxime ſtudere debet, cum Deo ut ultimo fine uniri ; hæc eſt enim tota hominis obligatio, hic finis a Deo in creatione intentus. Ratio ulterior eſt : quia homo jure etiam naturali tenetur ſalutem ſuam omni meliori modo procurare, maxime dum periculum inſtat. Sed non procurat, niſi per actum charitatis ; quia per hunc ſolum cum Deo ſuo ultimo fine conjungi poteſt.

Resolutio III. Præceptum charitatis etiam 183
aliis temporibus urget. 1. Dum peccator *practice* cogitat de ſui converſione. Nam puer tunc obligatur. ergo ex pari ratione etiam peccator. Et hæc eſt etiam ſententia D. Thomæ in 4. Sent. Diſt. 17. q. 3. a. 1. qq. 4. in corp. „ ad contritionem (quo no„ mine D. Th. intelligit perfectam) tene„ tur, quando peccata memoriæ occurrunt, cum præcipue in periculo mortis exiſtit &c. 2. Hoc præceptum probabilius obligat, dum

dum urget præceptum pænitentiæ & justificationis ; quia secus homo non videtur se ad Deum ex toto corde convertere : & quia non infunditur habitus amicitiæ, nisi præcesserit actus amicitiæ in adulto; sicut ei non infunditur habitus fidei & spei , nisi præcesserit actus fidei & spei, actus autem amoris amicitiæ perfectus amor charitatis est.

3. Videtur hac præceptum etiam obligare , quando homo in se advertit teporem & frigescere charitatem ; quia tunc est in gravi periculo dissolvendæ amicitiæ cum Deo, quod sub gravi culpa avertere tenetur : sicut tenetur evitare grave peccatum , & declinare periculum ; quod fit per actum charitatis. Nam etiam humana amicitia propter frequentes commissiones & omissiones, utut leves paulatim dissolvitur.

184 Resolutio IV. Datur obligatio saltem sub veniali peccato singulis dominicis & festis eliciendi actum charitatis.

Prob. I. Cultus religionis iis diebus exhiberi debet Deo, non solum ut supremo Domino , sed etiam ut Patri : ergo cultus religionis debet exhiberi affectu & amore filiali. *Ant.* fundatur in illo Malachiæ I. ubi Deus ait : *filius honorat Patrem & servus Dominum suum. Si ergo Pater*

Pater ego ſum: ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? quando tenemur honorare Deum ut Patrem, tenemur ex charitate honorare: ſed diebus dominicis tenemur honorare Deum ut Patrem. ergo. M. Prob. Auth. D. Th. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, ex vi hujus præcepti: *diliges Dominum Deum tuum.* ergo etiam honorando Deum.

II. Præceptum, ſanctificandi diem ſab- 185
bati, jure naturæ exigit actum dilectionis Dei: ergo etiam præceptum, diem Dominicum ſanctificandi, quæ ſucceſſit ſabbato; & ex paritate rationis aliis quoque feſtis diebus obligat ad actum charitatis. *Ant. Prob.* ſabbatum a Deo fuit inſtitutum, ut eſſet perpetua figura quietis in altera vita per Dei fruitionem quærenda, quæ tamen requies quæri non poteſt ſine actu charitatis tam concupiſcentiæ quam benevolentiæ, uno verbo amicitiæ. ergo præceptum obſervandi ſabbatum ſimul obligat ad actum charitatis. *Ant.* fundatur in Ep. ad Hebr. III. & IV. ubi ait PAULUS: *Dicit ſpiritus S. nolite obdurare corda veſtra, ſicut Patres veſtri, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam ... Timeamus proin, ne relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus exiſtimetur aliquis ex vobis deeſſe. Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis itaque relinquitur ſabbatiſmus*

populo Dei. ergo ſabbatum nos admonet requiei in Deo : ſed hæc quæritur per amorem, ut ſcribit S. AUGUSTINUS ep. olim 15. nunc 195. ad Januar. „ ſabbatum „ commendatum eſt priori populo, ut figura „ eſſet ſanctificationis in requie ſpiritus S. „ amant enim requiem ſive piæ animæ, ſive „ iniquæ : ſed quo perveniant ad illud, „ quod amant, plurimæ neſciunt. Cum „ ergo anima Deo *delectatur*, ibi veram, „ certam, æternam invenit requiem. Il- „ lam æternam requiem ubique amamus, „ ſed niſi *Deum amando* non invenimus. „ Ad ipſum autem ignem amoris nutrien- „ dum, & flandum quodammodo iſta om- „ nia pertinent, quæ nobis figurate inſi- „ nuantur. Unde non inconvenienter in- „ telligimus, ad amorem excitandum, quo „ ad requiem tendimus, valere omnia, quæ „ figurate in ſcripturis dicuntur. Quando- „ quidem in decalago (in 3. præcept.) id ſo- „ lum figurate præcipitur, ubi requies com- „ mendatur, quæ ubique commendatur, „ ſed in Deo ſolo certa & ſancta inveni- „ tur. „ Ex quo textu hoc oritur ratiocinium. Per præceptum ſanctificandi diem Dominicum jubemur quærere noſtram requiem in Deo : ſed hæc quæri & inveniri non poteſt niſi per *amorem Dei :* ergo jubemur elicere actum amoris. Eadem ratio procedit de diebus feſtivis.

PROB.

PROB. III. Diebus dominicis & feſtivis 186
fideles offerunt cum ſacerdote ſacrificium miſſæ, quod eſt repræſentatio ſacrificii cruenti in cruce; quoniam ut Eccleſia Dom. 9. poſt Pentecoſt. in ſecreta Miſſæ ait: *quoties hæc hoſtia offertur, opus redemtionis exercetur*: ſed videtur indecens, offerre ſacrificium ſine affectu amoris; cum PAULUS I. Cor. XVI. 22. dicat: *qui non amat Dominum JESUM Chriſtum, ſit anathema.* Aliunde etiam conſtat, quod Deus & Eccleſia vi præcepti audiendi Miſſam non tam præcipiat corporalem aſſiſtentiam, quam attentionem internam ad tremenda myſteria, & pios affectus. Quod ſi quis vero, uti tenetur, ad miſſæ myſteria attendat, videtur impoſſibile, ut non occurrat practica cogitatio de ſumma erga nos charitate Dei in opere redemtionis, inſtitutione Euchariſtiæ, quæ reciprocum a nobis amicitiæ amorem expoſcit. Ex qua ratione etiam multi theologi propugnant, peccatorem his diebus obligari ad actum contritionis.

PROB. IV. Fideles ſaltem ſub veniali il- 187
lis diebus tenentur ad devote recitandam orationem Dominicam; hoc fieri nequit ſine actu charitatis. Quomodo enim dicet aliquis *Pater*, & non affectu filiali in patrem feratur? quomodo ſincere deſiderabit *ſanctificari nomen Dei* ſine actu benevolentiæ, & propoſito procurandi Divi-

nam gloriam? quomodo concupiſcet: ut *adveniat regnum tuum.* Sine amore concupiſcentiæ? quomodo volet, ut *fiat voluntas Dei*, niſi velit ſervare mandata omnia, & primum inter illa dilectionis? & ſic de reliquis.

188 PROB. V. S. ſcriptura: SS. PP. communiter, & maxime D. THOMAS docent, præceptum charitatis debere obſervari perpetuo & continuo. Cum ergo hoc non poſſit fieri actu continuo, debent ſaltem aſſignari certa tempora, quo Deus diligatur *actu*, & in aliis omnibus actionibus diligatur *virtualiter*: ſed non poſſunt convenienter aſſignari alia tempora, niſi dies feſti. ergo. M. continetur Deut. VI. & in S. AUGUSTINO l. 1. de doct. Chriſtiana c. 22. ubi explicat textum Deuteron. & in D. Th. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ubi ait: „ ſub hoc „ præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; „ & ideo præceptum charitatis homo implere non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare: non ex vi hujus quarti præcepti: „ *honora Parentes*: ſed ex vi hujus præcepti: *diliges Dominum Deum tuum ex* „ *toto corde tuo.* „ Jam ſic: Deus debet in omni opere humano diligi virtualiter: ſed hoc non poteſt fieri, niſi præcedat actus chari-

charitatis; & virtualis influxus actus prævii non poteſt diu durare, niſi ſæpius repetatur actus: ergo actus debet ſæpius repeti. Sed alii dies convenientius non aſſignantur, niſi feſtivi. ergo actus charitatis diebus feſtivis elici debet.

PROB. VI. S. Pontifex BENEDICTUS XIV. 189
in Bulla: *Etſi minime* anno 1742. ad univerſos Epiſcopos data, non quidem expreſſe definit, ſed tamen inſinuat, ſingulis diebus Dominicis & feſtis elicendum eſſe actum charitatis. ergo adeſt præceptum ſaltem ſub veniali. *Ant. Prob.* ejus verbis.
„ Quia Chriſtianam religionem profitenti
„ maxime neceſſaria eſt conſuetudo, &
„ exercitatio ſæpius eliciendi actus fidei,
„ ſpei & charitatis, idcirco, ne illorum
„ uſus circumſcribatur anguſtis finibus,
„ & exiguo numero, a quibusdam ſin-
„ gulis annis præfinito; Epiſcopus ſuæ non
„ minus, quam alienæ ſalutis ſtudioſus
„ provide ſtatuat, ut in Parochiis tum ur-
„ bis tum diœceſis rectores animarum poſt
„ miſſam feſto die celebratam, ſtatim ante
„ aram provoluti clara & intelligibili voce
„ dictos virtutum actus eliciant, & præire
„ ſatagant populo, verba ab ipſis prolata
„ devote reddituro. Hoc enim pacto fi-
„ deles ſenſim illos memoriæ mandabunt,
„ & aſſueſcent, nedum feſtis, ſed aliis
„ etiam diebus in hac pia exercitatione
„ verſari. „

 OBJIC. I.

190 Objic. I. Ad obtinendum finem præcepti primi ſufficiunt actus charitatis imperati. ergo non requiruntur eliciti.

Respond. *Neg. ant.* nam ad actus imperatos præceptum charitatis etiam obligat aliis diebus. ergo feſtis obligat ad elicitos; cum ſint dies ſolennes religionis.

191 Objic. II. Præcepto ſanctificandi dies feſtos ſatisfit, abſtinendo ab opere ſervili, & audiendo Miſſam. ergo ad aliud non ſunt obligandi fideles.

Respond. *Diſt.* ſatisfit præcepto, ad evitandum peccatum mortale. *Conc.* etiam veniale. *nego.* hoc contrahitur ob omiſſionem actus charitatis, quæ obſervantiam præcepti comitatur, ſicut in ſimili obſervat S. Thomas n. 188. cit. ubi ait: „ in „ hoc præcepto: *honora Patrem*, non includitur, quod honoretur Pater ex charitate, ſed ſolum, quod honoretur Pater; „ unde qui honorat patrem, licet non habeat „ charitatem, non efficitur transgreſſor „ hujus præcepti, etſi ſit transgreſſor Præcepti quod eſt de actu charitatis; propter „ quam transgreſſionem meretur pænam.

192 Objic. III. Hanc obligationem ignorant fideles, utpote qui de omiſſione ſe non accuſant, neque etiam inculcant Parochi & confeſſarii. ergo nulla eſt.

Repsond. Cum transgreſſio præcepti & omiſſio actus charitatis ſit peccatum ſolum veniale, nulla eſt obligatio illud in confeſſione exponendi. Si vero confeſſarii & Parochi non inculcent, non eſt meum, judicare illos: ipſi rationem reddent adminiſtrationis ſuæ.

Objic. IV. Hæc obligatio non ſufficien- 193
ter fundatur in S. ſcriptura, SS. Patribus, authoritate theologorum, qui plerumque de ea ſilent, neque in ratione. ergo non eſt adſtruenda.

Respond. Nego *ant.* etſi enim argumenta præmiſſa non ſint demonſtrativa, facile tamen iis aſſertum perſuadebunt, qui meminerint, vi primi præcepti & ſupremæ legis charitatis Chriſtianos obligari non ſolum ad ea, quæ ſunt certo & indubie præcepta, ſed etiam ad alia, quæ agnoverint Deum a nobis expoſcere jure amicitiæ, & beneplaciti Divini; Chriſtianum quemvis teneri non vitare ſolum transgreſſiones, ſed etiam pericula incurrendi reatum peccati venialis: debere ſalutem ſuam procurare omni meliori modo, & ex Apoſtolico præcepto omnia in charitate, & ad gloriam Dei facere, ſanctificare nomen Dei, quæ omnia & plura alia ſine frequenti exercitio charitatis & ejus actu ſaltem directo & implicito obtineri nequeunt.

§. V.

De præcepto charitatis erga proximum.

Objectum materiale charitatis *secundarium* esse ipsum hominem, Angelum, & proximum, post D. Augustinum S. Thomas observat. hic q. 25. a. 12. potest autem nomine proximi intelligi tam Angelus quam peccator, & etiam inimicus, de quorum proin dilectione pauca pro coronide dicenda supersunt: sit itaque

194 Resolutio I. Homo se ipsum, & corpus suum ex charitate diligere debet: ita D. Th.

Prob. I. pars ex illo Christi Matth. 19. *diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Proximum autem debemus ex charitate diligere. ergo & nos. Ratio est I. illi sunt ex charitate diligendi, quibus debemus velle & optare beatitudinem, super quam charitas fundatur: sed nobis debemus maxime velle beatitudinem: ergo &c. Homo Deum diligens debet etiam amare ea, quæ sunt Dei: sed homo est res Dei: ergo &c. observat tamen D. Thomas amorem, quo homo se ipsum diligit, non esse amicitiæ, quæ necessaria est ad alterum, sed simpliciter charitatis: indirecte tamen & ex consequenti etiam hic amor amicitiæ dici potest; quia cum charitas sit

ſit amicitia hominis ad Deum principaliter, ex conſequenti eſt etiam ad ea, quæ ſunt Dei, inter quæ eſt etiam ipſe homo ut ait D. Th. q. 11. de charit. a. 7.

PROB. II. pars. Corpus non ſolum eſt 195
res Dei, qua ad ejus gloriam uti debemus, ſed cui etiam debemus velle participationem beatitudinis ut denuo D. Th. ratiocinatur hic q. 25. a. 5. ad 2. *ergo.*

RESOLUTIO. II. Angeli ſancti etiam ſunt 196
ex charitate diligendi, ita D. Th.

Ratio eſt, quia nomine proximi venit non ſolum ille, cui præſtamus opem, ſed etiam ille, a quo opem exſpectamus: atqui a SS. Angelis opem exſpectamus & experimur: ergo. Amicitia charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, ſed in hac participatione etiam communicant Angeli: *ergo.* Contraria ratione colligitur, non poſſe diligi dæmones.

RESOLUTIO III. Proximus ex charitate dili- 197
gi debet actu interno & poſitivo.

PROB. I. Quia contraria opinio ab INNOCENTIO XI. proſcripta eſt prop. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali: 11. præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.*

198 PROB. II. Chriſtus Matth. XXII. 39. clariſſimis verbis juſſit : *dilige proximum tuum ſicut te ipſum.* & Joan. XV. 12. *Hoc eſt præceptum meum , ut diligatis invicem , ſicut dilexi vos.* Joan. Ep. I. Cap. IV. pro menſura dilectionis fraternæ adſtruit dilectionem Dei erga nos : *Si ſic Deus dilexit mundum , & nos debemus alterutrum diligere.* At Deus actu interno & poſitivo nos diligit. *ergo.* PAULUS II. Cor. VI. & 1. Tim. I. 5. vult ut charitas noſtra non ſit ficta : eſſet autem mera hypocriſis, ſi externa charitatis ſigna proximo exhiberemus, ſine ullo interno affectu fraternæ charitatis. ergo.

199 RESOLUTIO IV. Nomine proximi etiam diligendi ſunt peccatores & inimici noſtri.

PROB. I. pars. Duo conſiderari poſſunt in peccatore : natura & culpa. Secundum naturam diligendus eſt, tanquam res Dei & imago ipſius, emta pretio magno ſanguinis Chriſti, & capax beatitudinis. Chriſtus venit vocare magis peccatores quam juſtos, in quo etiam maxime ſuam erga nos charitatem commendavit ; quoniam ut ait PAULUS Rom. V. *cum adhuc peccatores eſſemus , Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quoad culpam, tanquam Deo aliquid ſumme contrarium , & ipſius proximi in participatione beatitudinis impedimentum , diligi nequit , ſed juſto odio haberi. Cavendum

vendum tamen, ne odium noſtrum primo ad culpam directum, in perſonam ipſam reflectatur.

PROB. II. pars: id enim Chriſtus expreſſe 200
præcepit: *diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris Veſtri, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos &c.* Matth. V. Ratio in promtu eſt; quia inimicus eſt res Dei, noſter proximus, capax beatitudinis.

RESOLUTIO V. Præceptum diligendi inimi- 201
cos eſt naturale & non ſolum poſitivum, conſequenter jam in lege veteri & lege naturæ obligabat.

PROB. I. De lege nova nullum eſt dubium. De legi veteri patet per textus claros. Nam. Lev. XIX. 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum:* & mox additur: *diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Ubi quamvis vulgata noſtra legat, *amicum*, Chriſtus tamen juxta verſionem 70. interpretum, qua utebatur: Matth. 22. legit: *proximum*: ſic enim ait: *in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? ſecundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ.* Qui textus ex cit. loc. levit. deſumtus

tus eſt. Legantur Exod. XXIII. 4. Prov. XXIV. 17. XXV. 21. Job. XXXI. 28.

202 Prob. II. quod ſit juris naturalis. Principium naturale eſt: ut quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: ſed unusquisque vult amari, non lædi. Hoc principium inculcat etiam Chriſtus Luc. VI. 31. *& prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.* Contraria authorum v. g. Maldonati ſententia fundatur in illo Chriſti Matth. V. *audiſtis quia dictum eſt antiquis: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed reſpondet D. Thomas in 3. ſent. d. 30. q. 1. a. 1. „ In veteri lege etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, ſicut patet per authoritatem levitici inductam: unde quod dicitur: *odio habebis inimicum tuum*, non eſt ex lege ſumtum; quia nusquam hoc in littera invenitur, ſed eſt additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo, quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quod inimici eſſent odiendi. „ Ut 1. 2. q. 107. a. 2. ad 2. obſervat, Chriſtum circa odium inimicorum removiſſe falſum Phariſæorum intellectum, nos monens, ut perſona non odio habeatur, ſed culpa, vid. Augustinus l. 19. contra fauſtum c. 24.

203 Resolutio VI. Præceptum dilectionis proximi *effectivæ* toties obligat, quoties proxi-

proximus ope noſtra indiget, & nobis juvandi facultas non deeſt, ſeu dum nos ipſi, ſi in proximi circumſtantiis eſſemus poſiti, alterius opem rationabiliter deſideraremus.

Fundatur hæc regula in menſura præcepti, qua Deus voluit, ut diligamus proximum ſicut nos ipſos; & in principio naturali, vi cujus, quod volumus fieri nobis, etiam aliis faciendum eſt. Præceptum amoris *affectivi*, ſeu gratuitus voluntatis erga proximum affectus, quatenus *negativum* eſt, obligat ſemper & pro ſemper, & prohibet omnem malam erga proximum affectionem, odium aut deſiderium mali. Qua vero parte *affirmativum* eſt, non obligat pro ſemper: quibus vero præciſe temporibus urgeat, non poteſt paucis definiri. Aſſignantur tamen a theologis quædam. 1. Dum funditur oratio pro omnibus fidelibus, vel tota communitate, a qua communi oratione nullus excludi poteſt. 2. Dum exhibenda ſunt proximo ſigna externa fraternæ benevolentiæ. 3. Dum quis recordatur illatæ injuriæ & periculum eſt, ne odium proximi aut deſiderium gravis mali ſubintret. 4. Dum prævidetur reconciliatio inimici, ſi ſpecialibus benevolentiæ ſignis præveniatur. 5. Dum inimicus veniam petit &c. de quibus legantur theologi morales, præcipue galli; quoniam multi germanorum in materia morum nimium

laxi

laxi ſunt & naturæ ad omne malum proclivi favent.

204 RESOLUTIO VII. In charitate ſervandus eſt aliquis ordo, ut patet cant. 2. *ordinavit in me charitatem.*

Regulam ordinis in charitate ſervandi compendioſam dat HABERTUS, & eſt iſta. Amore *affectivo* meliora magis ſunt diligenda: amore autem *effectivo*, ſeu opere, quæ nobis ſunt conjunctiora, in pari tamen neceſſitate, & in eodem bonorum genere. Explicatur. Præſtantiſſimus omnium eſt Deus optimus maximus. Igitur appretiative diligendus ſuper omnia: Poſt Deum diligendus homo ipſe & proximus. Sunt vero bona hominis in triplici claſſe: bona animæ, bona corporis ſeu vitæ, bona fortunæ. Bonum animæ propriæ præferendum omnibus aliis, etiam ſaluti proximi, ita ut ad ſalvandum proximum, non liceat pati jacturam gratiæ, committendo peccatum. Quoniam vero bonum animæ proximi præſtantius eſt bono corporis noſtri & bonis fortunæ, hinc pro alterius ſalute per ſe loquendo non tantum bona fortunæ temporalia, ſed etiam propria vita ſacrificanda eſt, niſi & ipſe ſit in periculo æternæ damnationis. Dixi, *per ſe* loquendo: quia quandoque per accidens non obligatur. Caſus practicos enumerat D. AMORT Tom. 21. de præcep. decal. pag. 59. & theologi

logi morales paſſim. Quoad bonum proprii corporis & vitam magis homo debet diligere ſe, quam proximum: magis vero proximum quoad vitam, quam nos quoad bona fortunæ. Uno verbo: bonum præſtantius præferendum ignobiliori, in æquali cauſa: bonum proprium æquale præferendum alieno. Nunquam vero bonum alienum præſtantius poſtponendum bono ignobiliori proprio. Inter proximos præferendi ſunt, ut AUGUSTINUS l. 1. de doct. Chriſtiana l. 28. obſervat, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius nobis quaſi quadam ſorte junguntur. De quibus vid. D. THOMAS hic q. 26. ubi hunc ordinem fuſius & accurate pertractat. Diligamus ergo charitate ordinata, non verbo neque lingua, ſed opere & veritate; nam finis præcepti eſt charitas, & plenitudo legis eſt dilectio. Omnia noſtra in charitate fiant, ut

In omnibus glorificetur Deus.

TOMI VII.

PARS I.

Pag.	Lin.	Errata	Corrigenda
12.	21.	Deum	*deleatur*
14.	16.	leguntur	teguntur
28.	21.	nequit	poteſt
62.	25.	ſanctificatis	ſanctificantis
71.	19.	Anima	ab Anima
73.	10.	ſubſtantiæ	Subſtantia
79.	14.	rationalis	notionalis
84.	23.	ergo	ego
-	penult.	adeoque	adeo
109.	27.	ita	*deleatur*
114.	ult.	ordinanda	adornanda
140.	6.	ſupponet	ſupponit
146.	14.	Peccator	Juſtus
169.	3.	Spiritu Sancto	Spiritum Sanctum
170.	2.	non ſunt	*adde* ſolum
177.	5.	meritorum	meritorium
178.	29.	Merito	Meriti
181.	17.	conſtituam,	*adde* intra
191.	27.	quod	quæ
-	31.	eorum	coram
192.	7.	Nechemiæ	Nehemiæ
-	12.	bonum	*adde* Certamen
204.	17.	præcedentem	procedentem, ut
227.	15.	objecerunt	objecerat
241.	17.	operis	*adde* ad
243.	13.	qui	quia
249.	22.	dicimus	dicimur
266.	20.	bona	Bono

PARS II.

Pag.	Lin.	Errata		Corrigenda
55.	15.	Cauſa	- -	Culpa
56.	11.	&	- -	eſt
58.	17.	ordinaria	- -	ordinarie
71.	20.	regulanter	-	regulariter
97.	18.	ſecundarius	-	ſecundarium
101.	21.	revelantis	-	adjuvantis
109.	17.	fieri	- -	Ferri
115.	18.	quod non	-	qui non
-	26.	Theologorum		Thomiſtarum
124.	1.	*conc.*	- -	*nego.*
-	2.	*nego.*	- -	*conc.*
142.	5.	*min.*	- -	*conſ.*

Reliqua prudens Lector benevole excuſabit, emendabit.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 7

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1766

Dogm. 895-7
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399414-6
VD18 80212301